

509

12509

75
—
3


IMAGO INNOCENTIS
ADOLESCENTIS
D. BERNARDI
A V. GUILLELMO

PRIDEM SANCTI THEODORICI ABBATE,
sacrae Monachorum Collegii Cantuariensis auctoritate
scriptis lectis XII.

REVERENTISSIME PROFERBATA AD DEPELLENDOS
hæreses quos anno 1719. in illa Christiani R. P. Joannes Pictorius
Bellarminus in Actis SS. concilio, ad calcem scriptis Philippi
de rebus rebus quibus Libertatis appellavit.
Doctus Sixus Jacolus anno 1744.

CUM DISSERTATIONE APPENDICE
DE PITANDA OCCASIONE PRIMUM
peccandi lechalare.

PER F. JOSEPHI BARRIO
MEDICINIS P. R. D. IN SACRA THEOLOGIA M. D.
Pomariae Cathedralis Universitatis S. Agnethensis auctoritate
exercitum, et in Wallis Metanae pariter Collegii
D. Gregorii Regentem.





IMAGO INNOCENTIS
ADOLESCENTIÆ
D. BERNARDI
A V. GUILLELMO

PRIDEM SANCTI THEODORICI ABBATE,
jam Monacho Cisterciensi affabre
depicta seculo XII.

NUNC THEOLOGICE PROPUGNATA, AD DEPELLENDOS
nævos quos anno 1739. in illa evulgavit R. P. Joannes Pinius operis
Bollandiani in Acta SS. continuator, ad calcem seorsæ Editionis:
& foediores exhibuit quidam Leodiensis suppositivus
Doctor Sacræ Theologiæ anno 1744.

CUM DISSERTATIONE APPENDICE,
DE VITANDA OCCASIONE PROXIMA
peccandi lethaliter.

PER FR. JOSEPH BARRIO,
ORDINIS PRÆD. IN SACRA THEOLOGIA MAG.
Primariæ Cathedræ Universitatis Salmanticensis moderatorem
emeritum, & in Vallis-Oletana pridem Collegii
D. Gregorii Regentem.

IMAGO INNOCENTIS
ADOLESCENTIAE
D. BERNARDI

A. V. GUILIELMO

PRIDEM SANCTI THEODORICI ABBATE
jam Monacho Cisterciensis abbatis
deijca seculo XII.

NUMQ THEOLOGICE PROLOCUTA AD DEBELLENDOS
erroris hunc anno 1739. in illa vulgata B. G. Joannes Linnus doctor
Hollandus in Actis de commentor. ad eadem loca hinc inde
& locutiones exarant quibus lecturis suppositis
Doctor sacre Theologie anno 1744.

CUM DISSERTATIONE APPENDICE

DE VITANDA OCCASIONE PROXIMA
peccandi scilicet.

PER P. JOSEPH BARRIO

ORDINIS PRÆD. IN SACRA THEOLOGIA MAG.
Præsentis Cæsaræ Universitatis Sacre theol. academiæ professor
emeritum, & in F. Alti-Werthi publico Collegio
D. Gregorii Regensberg.

NUNCUPATIO.
SS. PP. D. BERNARDO
ABBATI,
ET D. DOMINICO
GUZMANO

FR. JOSEPH BARRIO SUPPLEX
D. O. C.

VESTRO fretus auxilio (Sanctissimi Patres) hoc quaecumque opusculum pridem incæptum, diu interruptum, tandem in senio utcumque perficere ausus sum. Enimvero vobis omni jure debebatur lucubratiuncula militantis quidem sub alterius vexillis, sed tendens ad collocandam in bono lumine alterius innocentem, & prorsus innoxiam adolescentiam. Dum hanc miseram vitam degebatis, simillimi fuistis: alter ut Lucifer initium seculi duodecimi, alter ut Hesperus finem ejusdem seculi illustrans. Ad idem Evangelicum munus divina providentia vos destinavit: præfago signo canum in ventre matris la-

erantium, aut ore ferentium facem illuminantem mundum. Hinc forsan de Bernardo iudicatum est, prius ab originali noxa mundatum, quam à Matre in lucem editum: ut ait Burchardus Balernensis Abbas ad calcem lib. 1. vitæ. Officium Hieremiæ uterque exercuit: congruum fuit eadem gratia præveniri.

Quod ad Dominicum attinet, haud levis con-

*
Hæc accepi, ex libro antiquo, agente de vitis SS. quos tunc celebrabat Ecclesia, in vita S. Dominici, scripto à docto viro Ord. Præd. narrante, quæ ipse vidit anno 1267. magna authoritatis, asserto in Archivo S. Ecclesiæ Cathedralis Segoviensis. Nomen authoris Fr. Rodericus. Ex his quæ tradit, haud levis conjectura fit: esse illum Illustrissimum Archiepiscopum Compostellanum, qui obiit anno 1303. & fuit Provincialis Hispaniæ, & Confessarius Regis.

hoc sunt similes) V. D. Joanna de Aza ipsum enixa est. Cui desiderio largus suorum amicorum honorator condescendens, pluere cœpit, & lapso totius

tura fit * ex eventu mirabili, illicò ac notitia solemnis Canonizationis ejus in Hispaniam venit. In vivis adhuc erat ejus germanus Frater V. Mannes, ejusdem Ordinis fervidus Prædicator. Visum est ipsi in Calarogam pergere, ut Patrienses etiam suum Fratrem honorarent. *Facite hic* (demonstrata Domo paterna, ubi natus fuerat, inquit) *Ecclesiam parvulam, quæ ampliabitur, dum placuerit Fratri meo.* Placuit cunctis hoc consilium; sed rursus ipsis subiit desiderium agnoscendi peculiarem, & determinatum domus locum, & situm, in quo Piissima ejus Mater (etiam in

Domus tecto, pavementum pluvia repleti, uno tantum situ relicto prorsus sicco. Quod cum mirarentur, ut certiores fierent, aqua, ex vicino puteo hausta super illum situm siccum projicitur, sed circumquaque diffusa illum situm in sua siccitate reliquit. Et ex illo tempore, erecta ibi Ecclesia Sanctimonialium Ordinis, eruitur terra, quæ in languentibus innumeras sanitates operatur.

Uterque virgo mente, & corpore. Alter fundator Ordinis Prædicatorum: Alter Cisterciensis præcipuus propagator. Alter suis clarissimis scriptis lucupletans Ecclesiam: Alter nullum nobis relinquens scriptum, sed suis continuis precibus (ut est constans traditio) Ordini suo, & toti S. Ecclesiæ impetrans Angelicum Doctorem, per quem Deus Ecclesiam suam mira eruditione clarificat, & sancta operatione sæcundat, ut dicitur in collecta festi ejus. Uterque de Beatissima Virgine Maria optime meritis, alter per egregias ejus laudes, alter erecta in Ecclesia piissima, ac utilissima devotione Psalterii Mariani, seu Rosarii.

Vestra etiam est dissertatio appendix; cum tam ardenti zelo in omnibus semper quæseritis Dei gloriam, & proximorum æternam salutem. Favete igitur dissertatiunculis his, ut illum, ad quem diriguntur, scopum, Gloriam, & honorem Dei, & proximorum æternam salutem, assequantur. Simul, humiliter quæso, favete huic misero pecca-

tori, prope jam sui corporis dissolutionem cernenti,
ut suorum peccatorum, vestris potentissimis preci-
bus, per Dei misericordiam soluto reatu, in Cœ-
lesti Patria vel eminus vos intuear, pro vestris egre-
giis meritis inter supremos spiritus rutilanti splen-
dore fulgentes. Amen.

Ille, Uscipue virgo mentis, & corporis. Aliter
datur Ordinis Praedicatorum: Aliter Cisterciensis
praecipuus propagator. Aliter levis clarissimus sup-
tis lucis peccata Ecclesiam: Aliter nullum nodis res-
surgens scriptura, sed suis continis precibus (ut
est portans iras) Ordini suo & toti S. Eccle-
siae imperans Angelicus Doctorum, per quem
Deus Ecclesiam suam tanta eruditione clarificat,
& sancta operatione fecundat, ut dicitur in col-
lecta festivitatis Ursulae de Beatis Virgine Ma-
riae episcopi mortuus, inter per gratias eius habet
aliter erecta in Ecclesia, quia in Ecclesia de-
votione Placitis Mariam, in Roma.

Vestra enim est dilectio, quod dicitur: cum
tam ardentibus in omnibus semper paratis Dei
servatis, & proximorum aeternam salutem sive
regni dilectionem hinc, sive illam, ad quem
dirigitur, sed per, gloriam, & honorem Dei
& proximo aeternam salutem, alleluia. Si
in, humiliter quod, sive vel hinc taliter pro-

LICENTIA ORDINIS.

FR. Franciscus de Higareda, Magister, atque in Uni-
 versitate Salmantina Primariæ Cathedræ Sac. Theo-
 logiæ Moderator, necnon Provinciæ Hispaniæ Or-
 dinis Prædicatorum humilis Prior Provincialis, au-
 thoritate Ordinis, & Officii nostri facultatem per presentes
 concedimus R. Adm. P. Mag. Fr. Josepho Barrio, ejusdem
 Primariæ Cathedræ Moderatori emerito, ut typis mandare
 possit Opusculum inscriptum: *Imago innocentis adolescentiæ*
D. Bernardi, cum Dissertatione appendice de vitanda occasione
proxima peccandi lethaliter, modo examinatum prius fuerit,
 & approbatum à RR. PP. Magistris Fr. Joanne Flores, Prio-
 re, ac Fr. Stephano de Mora, alumnis Conventus S. Ste-
 phani ejusdem Civitatis Salmant. Dat. in nostro Conventu
 S. Petri Martyris Toletano, die 21. Octobris ann. Dñi.
 1755.

Fr. Franciscus de Higareda.

Prior Provinc.

De mandato suæ R. A. P.

Fr. Joseph Estevan.

Mag. Socius, ac Sec.

CENSURA RR. PP. Fr. JOANNIS FLORES
Barrantes, Mag. & Prioris Conventus S. Stephani
Salmantini, & Fr. Stephani de Mora, Magistr.

DE mandato R. Adm. P. N. Fr. Francisci Higareda, Mag. in Univ. Salm. Primariæ Cathedræ Moderatoris, & Prov. Hispaniæ Ord. Præd. Prioris Provincialis, attente perlegimus Opusculum inscriptum: *Imago innocentis adolescentiæ D. Bernardi, cum Dissertatione appendice de vitanda occasione peccandi lethali*, per R. Adm. P. Mag. Fr. Josephum Barrio, de Gremio ejusd. Univ., & in eadem Primariâ Sac. Theolog. Cathedra rude jam abhinc annis donatum, excultum. Et deprehendimus quidem illud cartha, styloque, perstrictum; doctrina tamen, eruditione, morumque instructione peramplum, & in eo multa (quod sapientiæ consummatæ est) paucis dicta, atque edocta. Nec de Authoris ditissima penû per labores multos, multaque Magisterii annorum curricula, conquistata, parta tantum; verum potissimè de SS. Ecclesiæ, Conciliorumque, Decretis, SS. dictis, & sensibus, doctiorumque præmaturatis sententiis. Quæ historiam in cod. vocant, ad historiæ regulas perpensa: quæ Theologiam, & ethicem, ad momenta eadem contexta, ac delibata. Fulcris hisce erigitur, ac fulcitur structura Opusculi, atque constructio. In eo, quæ difficilia continuò apparent, autoritatis pondere, vi, atque efficacia rationum, profectarum inde, ut viro Theologo integrum est, superata, planaque: & quæ rigorem præferre videantur, ad eandem trutinam librata, vera cum primis, & nihilominus emmolita oleo super vinum effuso. Nil exinde non verum, nil non sanum ad theoriam, ad mores: nil non laudabile, moribusque rectè compositis utile, atque salubre: proindeque justum putamus, ut publicam lucem videat; in communemque studiosorum, & eorum, qui animarum curam gerunt, utilitatem, typis mandetur, salvo maturiori judicio, in hoc S. Stephani Salmanticensi Collegio, die 9. Martii, an. Dñi. 1757.

Fr. Joannes Flores Barrantes.

Fr. Stephanus de Mora.

Mag. & Prior.

Mag.

LICENTIA ORDINARII:

NOS Doctor D. Joseph Zorrilla de S. Martin;
 Dei gratia & Sanctæ Sedis Apostolicæ
 Episcopus Salmantinus, suæ Majestatis
 à Consiliis, &c.

Per præsentés concedimus licentiam, ut typis
 publicis mandari possit Opusculum inscriptum:
Imago innocentis adolescentiæ D. Bernardi, cum dis-
sertatione appendice de vitanda occasione proxima pec-
candi lethaliter: Authore Rmo. P. Fr. Joseph Barrio,
 Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Ma-
 gistro, & Primariæ Cathedræ hujus Universitatis
 moderatore emerito: siquidem ex commissione nos-
 tra recognitum est, & nobis constat nihil in eo,
 nostræ Sanctæ Fidei, & bonis moribus adversum,
 contineri. Datis Salmantica die 2. Aprilis. An. 1757.

JOSEPH, Episcopus Salmantinus,

De mandato Illmi. Dñi. mei.

D. Joseph Michael Hernandez,
 Vice-Secr.

CENSURA Rmi. JUXTA AC SAPIENTISSIMI
Patris Fr. Isidori Arias, Benedictinæ Congregatio-
nis Hispaniæ Magistri Generalis, de Gremio &
Claustro Universitatis Salmanticensis, & in sui
Collegii S. Vincentii Mart. olim Studiorum Præ-
fecti, nunc dignissimi Abbatis.

QUOD nihil minus cogitans, ab Illmo. Do-
mino D. Joseph Zorrilla, Episcopo Sal-
mant. Regioque Consiliario, &c. arbiter
accitus sim operis concinnati à Rmo. juxta ac Sa-
pientissimo P. M.

Quem nemo fando dixerit,

Qui non prius laudaverit,

Fr. Joseph Barrio, sola fecit Principis optimi erga
nullius consilii hominem honorificentia plena hu-
manitas. Vix jam de me parce sentiam dum Cen-
sorem agere jubeor Viri omni doctrinarum genere
excultissimi; parco autem, ut verbis utar Apost.
2. ad Corinth. 12. ne quis me existimet supra id
quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Quam
lator Mellifl. Parentem Bernardum strenuum adeo
inculpata conversationis suæ nactum esse vindicem,
tam vel ipsa obeundi muneris cogitatione fatigor:

Hæc sunt viribus quoniam altiora nostris.

Mos tamen est gerendus; levioris quippe culpæ ar-
bitror quodcumque dicere, quam nihil omnino.
Perlectum itaque, quam potui accuratissime, pul-
cherri-

cherrimum opus ut probem vehementer, laudemque maxime, cum æquitatis id exigit, tum ille, quam profitemur sincerus vacitatis amor; unde, nisi ex egregia in Doctorem Melliss. pietate mallis, annosum incessit Senem de rebus ipsius scripto differendi studium, cum ingravescens ætas, summaque in litteris parta laudis gloria colligendas jam esse sarcinas admoneret, & receptui caneret.

Sed enim, cum nec pietas gravetur annis, nec impigra senescat devotio, audendum sibi aliquid in Bernardi gloriam, censoria nescio quæ persuasit severitas, qua vita illius à V. Guillelmo S. Theodorici exarata, fædis inurebatur temeratae pudicitia, temereque revelati alieni criminis notis. Mitius quidem agendum cum Bernardo fuisset, in quo cum plurima fuerint virtutum genera, præcipuè tamen insigne effulsit castimoniam: Ab inoffensiva quoque in Guillelmum censura temperare par erat; qua nanque Orthodoxi omnes erga Cœlites tenemur observantia, non sine modesta quadam circumspectione de ipsis Sermonem habere permittit; longeque probabilius, ut opinioni falsæ, quatenus tamen error tolerabilis est parcatur interdum propter hominem, quam ut propter opinionem homo carpatur.

Dudum jam est cum, ut audio, istius scriptio-
nis argumentum intento revolvens animo, eo quæ
adolescenciam aluere, & senectutem oblectant,

nunquam intermissa studia non minima ex parte conferebat Vir ornatissimus. Variis subinde occupationibus distractus perficere nequivit quod incæpit. Nunc in arduis consultus undique negotiis doctissima fundebat oracula, nunc diurnis nocturnisque psalmodiis insistebat, nunc litterariis Academiae concertationibus intererat, aliquando non tantum spectator, sed etiam actor. Eandem interea alii occupavere spartam, quam ornandam reliquere probato per omnia seni, qui

Non fumam ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

Cogitat, ut speciosa debinc miracula promat.

Plura jam in adversaria sua retulerat, quam spissiori capi possent volumine; sed ubi collectis, severior forte ceteris sui iudex, criticam adhibere manum, eaque in corpus redigere decrevit, ut digesta in publicam emitterit lucem, quantum laboraverit, sin ab ipso discere, ex ipso serius edito opere existimare licet. Semel incitatus animus scripturare nondum desineret, neque castigandi scripta prius finem fecisset quam illud opponeretur Jun. Plinii ad Suetonium, Historiam à se confectam palam proferre procrastinantem: Perfectum, absolutumque est opus, nec jam splendet lima, sed atteritur.

Quæ porro in compendiosæ Dissertationis formam compegit, ut rebus pie, & Sanctæ à Bernardo gestis sua constet auctoritas, in Critice Virum emunc-

emunctæ naris, in Historia apprime versatum, in
Ecclesiasticis Legibus fidissimum interpretem, in
Sacra Theologia argutissimum Magistrum longe
lateque ostentant. In ea, quam consultissime, co-
lophonis loco adnectit de vitanda proxima peccan-
di occasione Tractatione, tanta dexteritate, tan-
taque solertia res attemperat, ut nec remissius de
his, nec arctius æquo scribat: quodque caput om-
nium est, calamum adeo in officio continet, ut
extra præscriptas à Religione metas minime excur-
rat: quare nihil extra periculum non positum re-
prehensionis autumo, salvo &c. Salmanticæ in
Collegio S. Vincentii. Die 28. Martii. Ann. 1757.

Fr. Isidorus Arias
Magistrum & Universitatis Primariam Cathedram mo-
deratorem emeritum, cum ex Relatione Rmi. P. D.
Hilphonis Gonzalez Aprobacione Magistri Primario-
raris Congregationis Generalis, & Cathedra scori-
in Universitate moderatores, cui Consilium commu-
lunus, nobis coalescer, nihil in eo sanctæ fidei & mo-
ribus, aut Regis Juribus adversum, contineri.
In quorum fidem his subscripsimus, Salmant-

Die 28. Martii anno 1757.

De mandato D. Judicis.
Emanuel Augustinus Prieto.

CHN

LICEN-

LICENTIA SUPREMI CONSILII CASTELLÆ.

DOct. D. Philippus Arango, è Majori Collegio Conchenſi, Canonicus S. Eccleſiæ Salmanticensis, & Uniuerſitatis Cathedræ Decreti moderator, Judex ſubdelegatus Typographiarum Salmantienſium à D. D. Joanne Curiel Ordinis Calatravæ Equite, in Supremo Castellæ Regio Senatu ſuæ Majeſtatis à Conſiliis, & Regni Impreſſionum Superintendente: Per præſentes do facultatem cuius hujus Civitatis Typographo, ut typis publicis det Opusculum Theologicum inſcriptum: *Imago innocentiſ adoleſcentiæ D. Bernardi à V. Guillelmo affabre depicta, nunc Theologicè propugnata, cum diſſertatione appendicè de vitanda occasione proxima peccandi lethaliter*: Per R. P. Fr. Joſeph Barrio, Ord. Præd. in Sacra Theologia Magiſtrum, & Uniuerſitatis Primariæ Cathedræ moderatorem emeritum; cum ex Relatione Rmi. P. D. Ildephonſi Gonzalez Apodaca Magiſtri, Præmonſtratiſ Congregationis Generalis, & Cathedræ Scoti in Uniuerſitate moderatoris, cui Cenſuram commiſimus, nobis conſtet, nihil in eo Sanctæ Fidei, & moribus, aut Regiis juribus aduerſum, contineri.

In quorum fidem hiſ ſubſcripſimus, Salmanticæ die 28. Martii anno 1757.

Doct. D. Philippus Arango.

De mandato D. Judicis:

Emmanuel Auguſtinus Prieto.

CENSURA Rmi. JUXTA AC SAPIENTISSIMI
P. M. D. Ildephonsi Gonzalez de Apodaca, Congrega-
tionis Premonstratensis Hispaniæ Magistri, & Abbatis
Generalis, de Gremio & Claustro Universitatis Sal-
manticensis, & post alias Philosophiæ Cathedras,
nunc Theologiæ Doctoris Subtilis Cathedræ egre-
gii moderatoris.

LEGENDUM mihi committitur à D. Doct. D. Philippo Aran-
go, Majoris Collegii Conchensis Alumno, hujus Alma
Ecclesiæ Cathedralis Canonico, Laurea Doctoris in hac
Universitate insignito, Cathedræ Decreti Moderatore, &
pro impressionibus Salmanticæ faciendis Judice Delegato, Opusculum
à Rmo. P. M. Fr. Josepho Barrio, Sacræ Prædicatorum Familiæ
Illustri Alumno, Doctore Theologo, & in Primaria Cathedra jam
diu Emerito, concinnè elaboratum. Titulus talis est: *Imago inno-
centis adolescentiæ Divi Bernardi à V. Guillelmo affabrè depicta, cum
Dissertatione appendice de vitanda occasione proxima peccandi lethali-
ter.* Scopus verò, purgare maculas, & tollere nævos, quos in Im-
agine adolescentiæ Divi Bernardi observavit R. Pinius in suis anno-
tationibus: & simul restringere habenas, & laxitates quorundam
circa occasionem proximam peccandi. Utrumque felicissimè adim-
plet media doctrina purissima, & clarissima à Divo Thoma de-
sumpta, quam sapienter expendit, ut probet, Divum Bernardum
instinctu actum respondente Donis Spiritus Sancti, non con-
silio humano ductum, se gessisse in casu puellæ nudæ injectæ in
ejus lectulum dormientis. Cui certò constat ex Deo revelante,
qui nec fallere, nec falli potest, se ad hoc vel illud agendum
instigari, instinctum illum proculdubio sequi tenetur. Sicut autem
vox & semetipsam, & loquentem, & rem, cujus est signum, ma-
nifestat, ita specialis instinctus, & supernum hoc lumen, quo ani-
ma tangitur à Deo, certum omnino reddit, & securum intellectum
de ipsa revelatione, de Deo loquente, & de veritate infalli-
bili rei revelatæ. Hoc lumine perfusus Abraham absque ulla hæsi-
tatione credidit, Deum esse, qui filii sui immolationem præci-
piebat: Hac luce superna irradiatus Sanson, certò cognovit, gra-
tum se Deo obsequium præstare, se ipsum simul cum hoibus
ruinâ domus opprimendo. Sanè ubi simile (Mellissius Doctor de
Præcep. & Dispens. cap. 5.) à Sanctis hominibus fuisse legitur usurpa-
tum, scriptura non indicante, quòd Deus ita præceperit, aut eos pec-
casse fatendum est sicut homines, aut certè sicut Prophetas familiare
Dei consilium accepisse. Meritò igitur ad hoc consilium, Donum
uti-

utique Spiritus Sancti, recurrit M. Barrio, ut incolumem salvet Divum Bernardum in casu puellæ, cum illud indicent circumstantiæ, quibus à Guillelmo narratur, gravitas & scopus scriptoris illud factum, sicut & alia, narrantis in laudem Dei, & alia plura adminicula in Opusculo sapientissimè pertractata.

Mihi quidem sedulo consideranti, & pluries perpendenti verborum energiam & contextum, simul & circumstantias, quibus narratur, valdè arridet marginalis nota huic facto apposita à R. Pinio: *Sanctus inter mundi blanditias, & impudica mulieris incitamenta eximiam exercet castitatem*; prudentissimè enim se gessit castissimus adolescens in illo presentaneo, & maximo periculo; & quidquid humana ratio à Deo adjuta, & castitate Angelica munita, agendum, & omittendum dictabat, fuit ab ipso & prudenter intentatum, & cautè omissum. Perpendamus singula: Illicò ac sensit expergefactus puellam in suum lectulum injectam, cautè abstinens à quavis reluctantia, vel clamore, (hoc credo significare illa verba: *Cum omni pace, & silentio*, quasi Hispanicè diceret: *sin darse en algun modo por emendado*) non immemor verborum illorum: *Fugite fornicationem*, & optimè callens cum Augustino Parente (Serm. 250. de Temp.) quòd Apostolus non dixit *resistite*, sed *Fugite*, ac proinde, quòd *contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in presenti resistere, libidinem verò fugiendo superare*, Apostolico utens remedio absque ulla vel levi morula fugam inchoavit; nam *partem lectuli, quam occupaverat, cessit, & in latus alterum se convertit*, dilapsurus continuò per aliud lectuli latus, & cameram cum sua insidiatrice relicturus, nisi fuga intentata, & jam inchoata, somno à Deo immisso fuisset interrupta. Scio Doctissimum Caramuelem in ea fuisse sententia, quòd Bernardus se profundè dormire simulavit, & remansit in lectulo cum puella absque castitatis periculo. Sed vero utrumque mihi valdè displicet; primum quidem, quia V. Guillelmus expressè dicit, quòd *dormivit*: quare simulatio somni, vel imperfectæ vigiliæ, tantùm locum habet respectu præcedentium actionum, *partem lectuli &c.*, quam simulationem indicavit scriptor illis verbis: *cum omni pace, & silentio*. Secundum ve ò, quia cuilibet corruptibile adhuc corpus gerenti, quantumvis virtutibus ornato, manifestè periculosa est cum muliere nuda, & præsertim procaci, in eodem lectulo accubatio. Et sanè quis credet, adolescentem ita cautum in aspectu mulierum non exhorruisse, & valdè sibi periculosam putasse cum tali talem societatem? Dato etiam, quòd Bernardo periculosa non foret, nihilominus ex charitate tenebatur illam vitare, ad cavendum impudicitiam, & peccata illius miseræ puellæ: unde certum arbitror, Castissimum Bernardum propria sponte & arbitrio non proposuisse ibi silitere. Stetit quidem, sed somno oppressus, at non naturali, sed præter naturæ leges & planè mirabili. Quod quidem vel solum factum illius puellæ sufficienter demonstrat; subjungit enim narra-

narratio, quod novissimè cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudensissima esset, erubuit, & horrore ingenti atque admiratione perfussa, relicto eo, surgens ausugit. Undenam, rogo, tantus horror, tam ingens admiratio in illa puella, nisi quia experimentis suæ impudicitiae convicta, conferens tantas stimulationes cum immobilitate tanta, planè cognovit, ibi aliquid occultum latere, & soporem illum præternaturalem omnino fuisse?

Dormivit sanè Bernardus, sed sopore immisso à Deo, sicut immisit in Adam. Somnus autem ille, ut ex Mag. Par. Augutino, & Mellifluo Doctore docet ibi Cornelius, non solum fuit immissus Adæ ad hoc, ut sine doloris sensu coita sibi detraheretur, sed simul cum raptu in ecstasim mentis, ut quæ gerebantur in ipso, agnosceret: & talem puto fuisse somnum Bernardo immissum; tam gravem quidem & profundum, ut nec leviter sentiret palpas, & incitamenta illius lascivæ, & simul eciticum, ut mente, quæ in ipso fiebant, perciperet; sicque gratias Deo ageret pro liberatione à tanto periculo; fidentior fieret ad tam multa, quæ oportebat ipsum pro nomine ejus pati, atque agere; & fidem facere posset in laudem & gloriam Dei de tam mirabili eventu; cujus certitudo valdè nutaret, si Bernardo non innotuisset, & Guillelmus ab ejus ore non accepisset; aliàs tota ejus fides devolvenda foret, & tantum nitentur testimonio, quod potuisset dare puella, parùm ex se firmo.

Hinc patet, nullam vim habere fundamentum, in quo maximè nititur Author Scripti Leodiensis, vel ad negandam veritatem hystoriæ, vel ad imputandam Castissimo Bernardo impudicitiam: constat siquidem, quod palpe, & stimulationes illius impudicæ exercitæ sunt in Bernardo dormiente, at somno nec ab ipso intento, nec præviso: quin potius ad hoc deserviunt, ut certius constet illum somnum non fuisse secundum naturæ leges, sed miraculosè inscrutabili judicio à Deo immissum.

Constat insuper solutio ad rationem dubitandi à R. P. Pinius propositam in suis annotationibus, qua permotus putavit tunc castigatione dignam illam hystoriam V. Guillelmi, quamque hac interrogatione perstringit: *Atque aded sine clamore, sine reluctantiâ, sine fuga de proximo isto incendio unice manebat securus?* Hoc consequens absque probatione ulla tamquam certò deductum ex assertis à Guillelmo proponit Pinius; sed immeritò supponitur, Bernardum sine fuga se gessisse, & in illo incendio voluisse manere. Mansit quidem, at non sponte sua, sed somno involuntario oppressus. Partem lectuli cedere, & in latus alterum se convertere non est à fuga abstinere, sed ad fugam se cautè præparare, seu potius inchoata fuga. De proposito, aut voluntate Bernardi omnino tacet Guillelmus: undenam ergo supponitur voluntaria ibi mansio, & abinentia à fuga?

A clamore prudentissimè abstinuit. Tum quia, etsi solum
cla-

clamasset, sicut in casu hospita, *Latrones, latrones, fama*, & honori puellæ plurimum derogasset, cum illa foret deprehendenda nuda. Tum propter famam propriam; prudenter enim timere poterat, ne puella, contemptam se videns & despectam, impudenter crimen illud in Bernardum intorqueret, sicut de hera Joseph refert sacer textus. Tum quia clamando non vitaret fortè puellæ præsentissimæ obscenitatem, ut brevi saltem morulâ misera illa suæ libidini satisfaceret. Tum quia fortè illa puella aliorum suggestione fuit instigata; non enim ait narratio, quod accessit, sicut dicit de hospita, sed quod *injecta est in ejus lectum*, quod magis sonat aliorum machinationem, quam spontaneum accessum; & fundamentum habet in ipsa narratione, ubi dicitur: *Obstidebant autem benignum Juvenis animum amicitie procellosa similem sibi efficere gestientes, quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus infederat, castitatis amorem.* Quod si ita fuit, meritò à clamore abstinuit, ne fortè non solùm non exaudiretur, sed etiam à suis infidiatoribus via ad fugam intentam præcluderetur. Tum denique ratione generali; fama liquidem proximi illæsa servanda est, quoad fieri possit, juxta illud: *Curam habe de bono nomine*: non ergo est licitus clamor, dum alia via declinari potest periculum; sicuti fecit Bernardus solâ fugâ ab illo se subducere cogitando.

A reluctantia cum illa puellâ, præsertim nudâ, & impudentissimâ, cautissimè abstinuit Bernardus, juxta monitum Apostoli: *Bonum est, mulierem non tangere. Quasi statim in tactu periculum esset*, ait Mag. Par. Aug. Serm. 249. de Tempore. Hac de causâ in simili conflictu fugit Joseph, ne vel mulierem tangeret, vel ab eâ tangeretur; quia, ut ait D. Hieronymus lib. 1. contra Jovin.: *Vel ipse mulieris tactus, quasi contagiosus, & venenatus, est viro fugiendus, non minùs, quàm rabidissimi canis morsus.* Hinc colligere licet, quàm jussit se gessit Bernardus in non clamando, quàm cautè in non reluctando, quàm callè pariter & solerter, dum fugere cogitat, & illicò inchoat, non tumultuario strepitu, non præcipiti & celeri fugâ, sed *cum omni pace, & silentio*, sensim, clanculùm, pedetentim se à puella subtrahendo, & à tanto, ac tali discrimine quasi furtim se subducendo. Sive ergo quæ omisit, attentè consideres; sive quæ fecit, maturè pensés; castitatem summam, summam prudentiam in eo miraberis.

Alterum nævum offendit P. Pinius, non quidem in Bernardo, sed in ejus adolescentiæ Imagine, quia nimirum à V. Guillelmo ipsi imputatur manifestatio occulti criminis, & revelatio peccatricis, quam ipse solus noverat, non autem alii, quibus eam manifestabat. En rationem, qua movetur: *Cum autem hoc non liceat sine justa causa, vel sine aliqua necessitate, ac neutrum apponat Biographus, Lectori iterum difficultatem movet.* Hunc nævum purè apparentem esse, non verum, probat optimè Rmus. Barrio,

ex contextu narrationis deducens, crimen illud non fuisse occultum sociis, sed satis manifestum; cum illud narravit Bernardus. Quod quidem satis indicasse videtur Guillelmus, dum primò describit ipsum non publicantem crimen, quia *solus noverat*: dum ergo poitea describit ipsum, ut crimen narrantem, insinuat, tunc etiam sociis jam illud innotuisse.

Sed demus, socios nihil omnino de tali crimine hospitæ vel suspicasse: undenam probatur, non adfuisse causam justam, vel necessitatem ad illud revelandum? *Quia*, inquit, *neutrum apponit Biographus*. Hac ratione etiam difficultatem offendere potuisset in casu relato ibidem de Bernardo, *collo tenus aquis gelidis immerso, donec penè exanguis efficeretur*; hoc enim non licet etiam ad vincendam libidinem, sicut nec se ipsum castrare, & Biographus non apponit, hoc egisse Bernardum instinctu Dei, sine quo non licet. Hac ratione rursus difficultatem moveret, quod de S. Benedicto in Breviario Romano narratur: *Se in vepribus tandiù volutavit, dum voluptatis sensus dolore opprimeretur*; hoc enim non licet sine speciali instinctu Dei, & hic ibi non apponitur. Quamplurimis aliis exemplis posset ostendi in aliis viris Sanctis, de quibus multa leguntur, & creduntur absque ulla hæsitatione, quæ tamen secundum communes naturæ leges licita non sunt, quin necesse sit, Scriptorem exprimere, illa esse facta ex speciali instinctu Dei; quia hic intelligendus supponitur, vel alia justa causa, aut necessaria pro qualitate facti, licet expressè non apponatur, ex quo præstò est legenti ex qualitate personæ, & circumstantiis narrationis. Non ergo legitime concluditur: Hoc non licet sine tali vel tali causa; hæc ab historico non exprimitur: ergo movet difficultatem, & nutat veritas narrationis. Putamus itaque, V. Guillelmum *ita locutum* (verba sunt Mag. Par. Aug. lib. 1. contra Julianum tractantis de quodam testimonio Sancti Chrysostomi) *quia disputans in Ecclesia Catholica, non se aliter intelligi arbitratur. Nam ut alia omittam* (ait D. Anselmus Opusculo de Sacramento Altaris cap. 13. loquens de S. Augustino) *quis concedere possit, virum eruditissimum edidisse in scriptis suis, quod ignorans quilibet, si scripsisset, prima facie respuendum, & conspuendum non dubitaret, crimen, scilicet, occultum sine causa revelari non posse?*

Si quis mihi succenseat, quòd munus mihi injunctum transilierim; stomachum, credo, deponet, si seriò cogitet me immoratum, loquendo de illo Magno Amico mei Parentis Norberti, quem veridicè, pariter & honorificè *Cælestem fistulam* nuncupabat Epist. 56. ad Gaufridum Carnotensem Episcopum; quique erga Præmonstratenses tanto fuit amicitiae nexu copulatus, ut his verbis bonevolentiæ plenis eos non dubitaverit alloqui Epist. 253. ad Abbatem de Præmonstrato: *Adharebo vobis, etsi nolitis: adharebo, etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo, charitate non fista, illa, qua nunquam excidit.* Igitur pro pietatis affectu, pro debito gra-

titudinis, & pro veritatis amore hæc dixerim, sine præjudicio tamen.

Nunc jam directè muneri injuncto satisfaciens, & abstinens à laudatione ingrata modestiæ Sapientissimi Authoris, cuius literato satis noti; item & à commendatione debita doctrinæ hujus Opusculi, utpote quæ semet soliditate, ubertate, & utilitate commendabilem reddit; sincerè fateor, nihil invenisse, quod Sacræ Scripturæ, Fidei Sanctionibus, & optimis moribus non consonet; sed cuncta ejus eloquia, sive pro defendenda innocentia castissimi Bernardi, sive pro vitanda occasione proxima peccandi, Authorem suum sapiunt, & spirant zelum & honorem Dei, pietatem & charitatem Christianam, curam & profectum animarum: & pro innata prudentia & gravitate Theologo digna, de thesauro sapientiæ suæ profert, non nova, sed novè; non novum sensum sententiis Sanctorum Patrum inducendo, sed novam faciem; stylo, non aculeato, sed modesto; non sophismatibus mundanæ sapientiæ turgido, sed simplici; non arroganti & tumido, sed doctrinali; quippe qui optimè novit cum Magno Parente Augustino 5. Confess. cap. 6. quod jucunda, & suavius garrimenta verba, disertum, elegans, & decorum eloquium, quod tanti faciunt aliqui, non boni rerum exultimatores, quibus videtur prudens, & sapiens ille, qui delectat eos loquens, animum sapientiæ deditum non satiat: cibus sapit, non quòd his aut aliis vasculis afferatur. Sic sentio, salvo, &c. In hoc S. P. Norberti Collegio Salmanticensi die 30. Martii anni Domini 1757.

M. Ildephonsus Gonzalez de Apodaca.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAG. 1. column. 1. linea 24. quam lege quem. Ibidem c. 2. l. 9. Authores lege Authoris. Pag. 4. c. 1. l. 25. agetur lege agitur. P. 5. c. 1. l. 39. lege eum. P. 6. c. 1. l. 36. gutientes lege gestientes. P. 7. c. 1. l. 23. irreparabilem lege incomparabilem. Ibidem c. 2. l. 1. lege deliberans. Ibidem l. 23. lege nomine. P. 9. c. 1. l. 39. lege 1150. P. 13. c. 1. l. 16. lege practica. Ibidem l. 19. lege est primario practicum. P. 14. c. 1. l. 30. lege agi. P. 15. c. 1. l. 37. lege offensam. P. 29. c. 1. l. 9. lege Donis. P. 32. c. 1. l. 24. lege accidit. P. 55. c. 2. l. 6. lege injuitiis. P. 67. c. 1. l. 22. lege pes. P. 87. c. 1. l. ultima lege famula.

Alia levioris momenti prudens lector advertet.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

1 **O**ccasionem huic qualicumque opellæ præbuit R. P. Joannes Pinus, differtissimus continuator operis Bollandiani, in acta ss. Equidem in prima editione vitæ S. Bernardi, cum commentario prævio, quam inferuit tom. 4. Augusti ad diem 20: immo in seorsâ (in gratiam Rmi. Abbatis Claravallensis, Antuerpiæ etiam cussa anno 1739.) nihil est, in quo ab scripto V. Guillelmi recedat: quinimò dum tangit casum puellæ injectæ in lectum adolescentis Bernardi, ad marginem num. 8. & 9: has notas apposuit: *sanctus inter mundi blanditias, & impudica mulieris incitamenta, eximiam exercet castitatem.* In Commentario autem prævio magna cum laude meminit V. Guillelmi: & §. 3. n. 26. post ponderatos singulares favores, quibus Deus dignatus est infantiam, & pueritiam D. Bernardi, quam ad tot heroica præparabat, illustrare; sic concludit: *Ex his conficitur, favores Cælestes meritis; merita autem favoribus in Bernardo respondisse ab ipsa puerili ætate.*

2 *Sed memoria infida custos est excogitatorum*, ut D. Augustinus ait lib. 2. *contra Academicos.* Quo circa Pinus denuo legens, aut considerans expletam jam hanc seorsam editionem, invenit in illa duas narrationes V. Guillelmi, quas judicavit castigatione dignas: unde ad calcem hujus editionis, ante quam divulgaretur, sub titulo *Addenda*; inter alias (bona quidem fide, & ne aliis offendiculo essent) apposuit duas notas corrigentes navos à se inventos in illis narrationibus.

3 Ut, ut res se habuerit; illicò ut hæc seorsâ editio in nostra Hispaniâ vulgata est, insurrexerunt contra Pinium plures Anonymi libelli; alterque pro Pinio. Quos omnes justissima S. Officii providentia profecripit: tum quia contra leges Ecclesiæ prodierant, absque nomine Authores: tum ad fartam, rectamque servandam christianam charitatem, & pacem, anno 1744.

4 Prodierat etiam eodem anno, ut suppetias ferret Pinio, aliud scriptum, in duos libellos separatos divisum; alterum jocosum, alterum seriofum, duabus quætionibus Scholasticis; nedum roborans, verum acrius augens censuram Pinii, circa narrationem Guillelmi in casu puellæ; & ejus judicium de narratione dictorum à Bernardo in itinere, cum injuria hospitiæ, Scholastica etiam disputatione propugnans; de quibus nos in dissertationibus primis.

5 Hoc scriptum vulgatum fuit sub nomine cujusdam Rennati Balduini, Galli, S. Theologiæ Doctoris, quasi Leodii Typis datum in Officina Viduæ Nicol. Bertheins, anno 1744. cum approbationibus, & licentis Ordinarii, & privilegio Magilstratus, cum sequente titulo: *Aucupium speciosum, cum Auctua io*, directum ad amicum Hispanum.

6 Felicius forsân Author hujus scripti sub proprio nomine, & Typis Hispanicis opus suum edidisset. Siquidem, licet non omnes ejus sententiis acquiescerent; omnes tamen laudarent ingenium; dictionis latinæ proprietatem, Theologicèque differendi haud vulgarem facultatem: & sicut parcitur Pinio, bona fide pro-

cedenti, & ex præocupatione, qua judicavit, à Guillelmo in casu puellæ exhiberi Bernardum ex proprio consilio, ac judicio procedentem; eadem præocupatio, & bona fides agnosceretur in ipso.

7 Sed, de scribentibus sub aliorum nomine, jam Sapientissimus, acerrimique judicii Vir, Melchior Canus (hujus Conventus Sancti Stephani, clarissimum Jubar, & in Salmanticensi Academia primarius professor) postquam lib. 11. de *Locis* cap. 6. produxit Decretum Gelasii Papæ de historiis, proprio occultato nomini, vulgaris: *Eadem omnino causa* (subdit) *subest in scriptis, quæ tamen Authoris conspiciam nomen præferant; sed quis ille, qualis ve sit, obscurum, & incertum est.*

8 Pinius narrationem Guillelmi de puella carpit, ut falsam, ac minimè cohærentem circumspectioni Bernardi, ad cavenda omnia, quæ angelicæ virtuti, adeò ab ipso adamatæ repugnant. Non tamen absolute negat id fuisse possibile: *Sed si ita accidit* (inquit) *ut Guillelmus narrat, esse unum è multis, quæ inveniuntur in sanctis, miranda utique, & non imitanda.* Sed Leodiensis (ita brevitatis causa deinceps illum nominabimus) absolute negat id possibile fuisse, aut prudenter credibile: immò judicat per omnia conveniens cum erroribus hæreticis damnatis per Innocentium XI. in Michaelè Molinos. Quo circa cum Leodiensi potissimum erit dissertatio. Immo reverà, nec cum hoc erit contentio. Nam nos immunitatem S. Bernardi in casu puellæ, prout refertur à Guillelmo, salvabimus per recursum ad dona Spiritus Sancti, Consilii, & timoris Domini; & quia in illo casu non est operatus ex proprio consi-

lio, & judicio, sed actus ab Spiritu Sancto. Quod possibile esse, & omnibus circumstantiis seriò perpensis, prudenter credibile non negaret Leodiensis S. Theologiæ Doctor. Sed donorum Spiritus Sancti in suis quæsit. Scholasticè minime meminit. Quod valde notabile est, ut videbimus *diff. 1. art. 4. §. 3.*

9 Stylus erit ille, quem ab Angelico Doctore, D. Thoma Aquinate, didici. Laudabilis quidem potest esse quædam in disputatione acrimonia; dum fervetur conveniens modus, & causæ, & negotiis, & personis, ut ex Cicerone docet D. Thomas 2. 2. quæsit. 83. art. 1. Verum in disputatione, scripto exercita, vix potest hoc fieri; cum illa laudata acrimonia solo gestu innotescat, & verbis vix exprimi possit, nisi sint spinosa; à quibus, imitatus etiam S. Doctorem, prorsus abstinerere itatuo. Nam cum viris Catholicis, ac piissimis differo; ab eorumque, vel levisima injuria, opellam hanc meam liberam volo: sicut & ab omni assertionem, quæ quoquo pacto sit contra sanam doctrinam S. R. Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis: cujus censuræ cuncta ex corde subijcio.

Ut autem hæc assequar, illam humiliter fundo Orationem, quam Innocentius III. concinnavit pro Officio S. Bernardi en ejus festo à Cisterciensibus peragendo.

ORATIO.

Perfice quæsumus Domine pium in nobis sanctæ religionis affectum: & ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem B. Bernardus Abbas, & Doctor Egregius apud te semper pro nobis meritis, & precibus intercedat, Per Dominum, &c.



CAPUT PRIMUM.

PRÆLUDIA COMMUNIA UTRIQUE
Dissertationi.

Hujus opusculi scopus est depellere nævos, quos Pinius invenit, non quidem in SS. Bernardo, sed in imagine adolescentiæ ejus; superstitie adhuc Sancto Doctore, depicta à V. Guillelmo, Abbate pridem S. Theodorici Rhemensis, & Monacho postmodum Cisterciense. Ad hunc finem pro ingenioli mei paupere facultate, duas concinnavi Theologicas dissertationes. Sed, re bene perpenſa, arbitratus sum peni-

tus, efficaciusque depellendos apud oculatos, & debita cum reflexione perspicientes cunctas præfata imaginis partes, militaramque colorum, per ipsam ob oculos positam imaginem, prout affabrè elaborata est ab ipso V. Guillelmo; & extat in primo libro vitæ S. Bernardi, scripto ab ipso; in Editione Hortii in cap. I. & duobus sequentibus. Placuit igitur illam in limine opusculi exhibere: & est hujusmodi.

PRÆLUDIUM PRIMUM.

DE INFANTIA, PUERITIA, ET ADOLESCENTIA D. BERNARDI.

Bernardus (inquit Guillelmus) Burgundia partibus, Fontanis, oppido Patriis sui, oriundus fuit, Parentibus claris, secundum dignitatem seculi, sed dignioribus, ac nobilioribus, secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tece- celinus, vir antiquæ, & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque, secundum instituta Præcurſoris Domini, militiam agens, neminem con- cutiebat, nemini faciebat calum- niam, contentus stipendiis suis, quibus ad omne opus bonum abun- dabat. Sic, consilio, & armis ser- viebat temporalibus dominis suis, ut etiam Domino Deo suo non ne- gligeret reddere, quod debebat.

Mater Aleth, ex castro, cui nomen Mons Barrus; & ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo, secundum timorem Dei, domum suam rege- bat, operibus misericordiæ insis- tens, filios enutriens in omni dis- ciplina. Septem quippe liberos ge- nuit, non tam viro suo, quam Deo; sex mares, fæminam unam. Mares omnes Monachos futuros, fami- nam sanctimoniam. Deo namque, ut dictum est, non seculo gene- rans, singulos, mox, ut partu edi- derat, ipsa manibus propriis do- mino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos com- mittere illustri fæmina refugebat, quasi cum lacte materno, materni

„ quodammodo boni infundens eis
 „ naturam. Cum autem crevissent,
 „ quandiu sub manu ejus erant,
 „ Eremito magis, quam Curia nutrie-
 „ bat: non patiens delicatioribus af-
 „ fuscere cibis, sed grossioribus, &
 „ communibus pascens; & sic eos
 „ preparans, & instituens, Domino
 „ inspirante, quasi continuo ad Ere-
 „ mium transmittendos.

2 Hæc, cum in ordine fi-
 „ liorum, tertium Bernardum habe-
 „ ret in utero, somnium vidit, præ-
 „ sagium futurorum: catellum, scili-
 „ cet, totum candidum, in dorso sub-
 „ rufum, & latrantem in utero se
 „ habere. Super quo territa vehe-
 „ menter, cum Religiosum quendam
 „ virum consulisset, continuo ille
 „ spiritum Prophetiæ concipiens, quod
 „ David de Sanctis Prædicatoribus
 „ Domino dicit: *Lingua canum tuo-
 „ rum ex inimicis*; trepidanti, & an-
 „ xiæ respondit: ne timeas, bene res
 „ agetur, optimi catuli mater eris, qui
 „ domus Dei cultos futurus magnos
 „ pro ea contra inimicos fidei editu-
 „ rus est latratus. Erit enim Egre-
 „ gius prædicator, & tamquam bo-
 „ nus canis gratia linguæ medicina-
 „ lis in multis, multos morbos cu-
 „ raturus est animarum. Quo res-
 „ ponso, mulier pia, & fidelis, quasi
 „ a Deo suscepto, læta efficitur, &
 „ jam tunc in amorem nondum nati
 „ tota transfunditur, cogitans sacris
 „ eum litteris erudiendum tradere,
 „ secundum modum visionis, & in-
 „ terpretationis, qua ei de illo tam
 „ sublimia promittebantur. Quod &
 „ factum est. Mox enim; ut felici
 „ partu edidit, non modo obtulit
 „ eum Deo, sicut de aliis agere con-
 „ sueverat: sed sicut legitur de S.
 „ Anna, matre Samuelis, quæ peti-
 „ tum à Domino, & acceptum fi-

„ lium, in tabernaculo ejus destina-
 „ vit perpetuo servitutum; sic & ipsa
 „ eum in Ecclesia Dei acceptabile
 „ obtulit munus.

3 „ Unde & quamcitiùs po-
 „ tuit in Ecclesia Castellionis (quæ
 „ postmodum ipsius Bernardi opera
 „ à seculari conversatione in ordine
 „ Regularium Canoniorum promo-
 „ ta cognoscitur) Magistris litterarum
 „ tradens erudiendum, egit quid-
 „ quid potuit ut in eis proficeret.
 „ Puer autem, & gratia plenus, &
 „ ingenio naturali pollens, cito in hoc
 „ desiderium matris implevit. Nam
 „ in litterarum quidem studio supra
 „ ætatem, & præcoctaneis suis pro-
 „ ficiebat; sicut in rebus secularibus
 „ jam mortificationem futura per-
 „ fectionis velut naturaliter inchoa-
 „ bat. Erat namque simplicissimus
 „ in secularibus, amans habitare se-
 „ cum, publicum fugiens, mirè co-
 „ gitativus, parentibus obediens, &
 „ subditus, omnibus benignus, &
 „ gratus, domi simplex, & quietus,
 „ foris rarus, & ultra quam credi
 „ posset verecundus; nusquam mul-
 „ tum loqui amans; Deo devotus,
 „ ut puram sibi pueritiam suam con-
 „ servaret, litterarum etiam studio
 „ deditus, per quas in Scripturis
 „ Deum disceret, & cognosceret. In
 „ quo, quantum in brevi profecerit,
 „ & quam perspicacem in discernen-
 „ do induerit sensum, ex eo, quod
 „ subjungimus, adverti potest.

4 „ Cum adhuc (subdit Cap.
 „ II.) puerulus gravi capitis dolore
 „ vexaretur, decidit in lectum. Ad-
 „ ducta autem ad eum est muliercula,
 „ quasi dolorem mitigatura carmi-
 „ bus. Quam cum ille appropinquan-
 „ tem sentiret, cum carminibus,
 „ instrumentis, quibus hominibus
 „ de vulgo illudere consueverat; cum

„ indignatione magna exclamans à se
 „ reperit, & abiecit. Nec defuit mi-
 „ sericordia divina bono zelo Sancti
 „ pueri: sed conticuò sensit virtu-
 „ tem, & in ipso impetu Spiritus
 „ surgens, ab omni dolore libera-
 „ tum se esse cognovit. Ex quo cum
 „ non parum in fide proficeret, ad-
 „ jecit ei Dominus apparere, sicut
 „ olim puero Samueli in Silo, &
 „ manifestare ei gloriam suam. Ade-
 „ rat namque solemnitas illa nox Nati-
 „ vilitatis Dominicæ, & ad solem-
 „ nes vigilias omnes, ut moris est,
 „ parabantur. Cumque celebrandi
 „ nocturni Officii hora aliquantisper
 „ protelaretur; contigit sedentem,
 „ expectantemque Bernardum cum
 „ cæteris, inclinato capite, paululum
 „ soporari. Affluit illico puero suo
 „ se revelans pueri Jesu Sancta Nati-
 „ vitas teneræ fidei suggerens incre-
 „ menta, & divinæ in eo inchoans
 „ mysteria contemplationis. Appa-
 „ ruit enim velut denuò procedens
 „ sponsum è thalamo suo. Apparuit
 „ ei, quasi iterum ante oculos suos
 „ nascens ex utero Matris Virginis
 „ Verbum infans, Speciosus forma
 „ præ filiis hominum, & Parvuli
 „ Sancti in se rapiens, minime jam
 „ pueriles affectus. Persuasum autem
 „ est animo ejus, & nunc usque fa-
 „ tetur, quod eam credat horam
 „ fuisse Dominicæ Nativitatis. Sed &
 „ facile est advertere iis, qui ejus au-
 „ ditorium frequentaverunt, in quan-
 „ ta benedictione ea hora præve-
 „ nerit cum Dominus; cum usque
 „ hodie in iis, quæ ad illud pertinent
 „ Sacramentum, & sensus ei pro-
 „ fundior, & sermo copiosior suppe-
 „ tere videatur. Unde & postmo-
 „ dum in laudem Genitricis, &
 „ Geniti, & Sanctæ ejus Nativita-
 „ tis, insignæ edidit Opusculum, in-

„ ter initia operum suorum, seu
 „ tractatum, sumpta materia ex
 „ eo Evangelii loco, ubi legitur:
 „ Missus est Gabriel Angelus à Deo in
 „ Civitatem Galilee, &c., quæ ibi
 „ sequuntur.

„ 5 „ Nec illud tacendum, quòd
 „ ab ipsis jam puerilibus annis, si
 „ quos poterat nummos habere, clari-
 „ destinas faciens elemosynas, &
 „ verecundiæ suæ morem gerebat,
 „ & pro ætate, immo supra ætatem,
 „ pietatis opera sectabatur. Cum au-
 „ tem, aliquanto tempore evolutò,
 „ proficiens ætate, & gratia apud
 „ Deum, & homines, puer Bernardus,
 „ de pueritia transfret ad ado-
 „ lescèntiam, Mater ejus, liberis si-
 „ deliter educatis, & vias seculi in-
 „ gredientibus, quasi peractis om-
 „ nibus, quæ sua erant, feliciter
 „ migravit ad Dominum. De qua
 „ nequaquam prætereundum est,
 „ quod cum multo tempore vi-
 „ xisset cum viro suo honeste, &
 „ iuste, secundum justitias, & honesta-
 „ tates seculi hujus, & legem, si-
 „ demque conjugii: per aliquot ante
 „ obitum suum annos, in eo, ad
 „ quod nutrire filios videbatur,
 „ prout potuit, & licuit mulieri
 „ sub potestate viri constitutæ, nec
 „ habenti proprii corporis potesta-
 „ tem, omnes ipsa prævenit. Ete-
 „ nim in domo sua, & in profes-
 „ sione conjugali; & in medio se-
 „ culi, eremiticam, seu monasticam
 „ vitam non parvo tempore visa est
 „ æmulari, in victus paritate, in
 „ vilitate vestitus, delicias, & pom-
 „ pas seculi à se abdicando, ab æc-
 „ tibus, & curis secularibus, in
 „ quantum poterat, se subtraendo,
 „ insistendo jejuniis, vigiliis, &
 „ orationibus: & quod minus
 „ assumptæ professionis habebat,
 „ elec-

6 *Praelud. I. De puerit. & adolesc. D. Bern.*

„ eleemosynis , & diversis operibus
 „ misericordiæ redimendo : in quo
 „ de die in diem proficiens ad ex-
 „ tremam devenit , perficienda in fu-
 „ turo in eo , in quo proficiens de
 „ hoc seculo migravit. Obdormivit
 „ autem pſalentibus clericis , qui
 „ convenerant , & ipsa pariter pſa-
 „ lens , ut in extremis quoque , cum
 „ jam vox ejus audiri non posset,
 „ adhuc moveri labia viderentur ;
 „ & lingua palpitans Dominum con-
 „ fiteri. Demum inter litanix sup-
 „ plicationes , cum diceretur , *per*
 „ *Passionem , & Crucem tuam , libera*
 „ *eam Domine ;* elevans manus sig-
 „ navit se , & emisit spiritum , ita
 „ ut manum non posset deponere ,
 „ quam levaverat.

6 „ Ex hoc Bernardus (sub-
 „ dit Cap. III.) suo jam more , suo
 „ jure vicitare incipiens , eleganti
 „ corpore , grata facie præeminens ,
 „ suavissimis ornatus moribus , acri
 „ ingenio præditus , acceptabili pol-
 „ lens eloquio , magnæ spei adoles-
 „ cens prædicabatur. Cui tanquam
 „ ingredienti seculum plures se viæ
 „ seculi ipsius offerre cæperunt , &
 „ in omnibus assurgere prosperita-
 „ tes vitæ hujus , & magnæ spes ,
 „ undique arridere. Obſidebant au-
 „ tem benignum juvenis animum
 „ sodalium dissimiles mores , & ami-
 „ citiæ procellosæ similem sibi effi-
 „ cere gutientes. Quæ si ei dulces-
 „ cere perſtitissent , necesse erat
 „ amareſcere illi , quod in hac vi-
 „ ta dulcius cordi ejus infederat ,
 „ Castitatis amorem. Cui præcipue
 „ invidens coluber tortuosus spar-
 „ gebat lacuos tentationum , ac
 „ variis occulis calcaneo ejus in-
 „ ſidiabatur.

7 „ Cum enim aliquando cu-
 „ riosius aspiciendo , defixos in

„ quandam oculos aliquandiu tenuis-
 „ set , continuo ad se reversus , & de-
 „ semetipſo erubescens apud seme-
 „ tipſum , in se ipsum ultor seve-
 „ riſſimus exarſit. Stagno quippe
 „ gelidarum aquarum , quod in
 „ proximo erat , collo tenus infilens ,
 „ tandiu inibi permanſit , donec pe-
 „ ne exanguis effectus , per virtutem
 „ gratiæ cooperantis etiam à calore
 „ carnalis concupiſcentiæ totus re-
 „ frigit , induens illum caltitatis
 „ affectum , quem induerat , qui di-
 „ cebat : *Pepigi fœdus cum oculis*
 „ *meis , ut ne cogitarem quidem de*
 „ *virgine , &c.*

8 „ Circa idem tempus instinc-
 „ tu Dæmonis in lectum dormien-
 „ tis injecta est puella nuda : quam
 „ ille ſentens , cum omni pace , &
 „ ſilentio partem ei lectuli , quam
 „ occupaverat , ceſſit , & in latus
 „ alterum se convertit , atque dor-
 „ mivit. Misera vero illa aliquandiu
 „ jacuit ſultinens , & expectans : dein-
 „ de palpans , & ſtimulans. Novis-
 „ ſimè cum immobilis ille perſisteret ,
 „ illa , licet impudentiſſima eſſet , eru-
 „ buit , & horrore ingenti , atque
 „ admiratione perſuſa , relicto eo ,
 „ ſurgens auſugit.

9 „ Contigit item , ut cum
 „ fociis aliquantis apud matronam
 „ aliquam Bernardus hospitaretur.
 „ Conſiderans autem mulier adoles-
 „ centem decorum aspectu , capta
 „ eſt laqueo oculorum ſuorum ; &
 „ in concupiſcentiam ejus exarſit.
 „ Cumque tanquam honoratori
 „ omnium ſeorſum ei feciſſet lectu-
 „ lum præparari , ſurgens ipſa de
 „ nocte impudenter acceſſit ad eum.
 „ Quam Bernardus ſentens ; nec
 „ conſilii inops , clamare cepit , *La-*
 „ *trones , Latrones.* Ad quam vocem
 „ fugit mulier , familia omnis exur-
 „ git,

„git, lucerna accenditur; latro
 „quæritur, ſed minime invenitur.
 „Ad lectulos ſinguli redeunt; fit
 „ſilentium, ſunt tenebræ, ſicut
 „prius, pauſant cæteri, ſed non illa
 „miſera requieſcit. Exurgit denuđ,
 „& Bernardi lectulum petit: ſed
 „denuđ ille proclamatur, *Latrones,*
 „*Latrones.* Quæritur iterum latro;
 „latet iterum, nec ab eo, qui ſo-
 „lus noverat, publicatur. Uſque
 „tertio improba mulier ſic repul-
 „ſat, vix tandem, ſeu metu, ſeu
 „deſperatione victa, ceſſavit.

IO „Cum autem die ſequen-
 „ti iter agerent, arguentes Bernar-
 „dum locii, quosnam toties ea
 „nocte Latrones ſomniaverit, per-
 „quirebant. Quibus ille: *Veraciter,*
 „inquit, *aderat latro. Et quod mihi*
 „*prætiſius eſt in hac vita, caſtitem,*
 „*videlicet, hospita nitebatur auferre,*
 „*irreparabilemque Theſaurum.*

II „Inter hæc tamen cogi-
 „tans, & perpendens quod vulgo
 „dicitur, non eſſe tutum diu coha-
 „bitare ſerpenti; fugam meditari
 „cœpit. Videbat enim mundum,
 „& Principem ejus exterius ſibi
 „multa offerentem, magnas res,
 „ſpes majores: ſed fallaces omnes,
 „& vanitates vanitatum, & vanita-
 „tem omnia. Veritatem verđ ip-
 „ſam interiùs jugiter audiebat cla-
 „mantem, ac dicentem: *Venite ad*
 „*me omnes, qui laboratis, & onerati*
 „*eſtis, & ego reſciam vos. Tollite ju-*
 „*gum meum ſuper vos, & invenietis*
 „*requiem animabus veſtris.* Perfec-

tiùs verđ relinquere mundum de-
 „ſiderans, cœpit inquirere, & in-
 „veſtigare, ubi certius, ac purius
 „inveniret requiem animæ ſuæ ſub
 „jugo Chriſti. Inquirenti autem oc-
 „currit Ciſtercii innovatæ Monasti-
 „cæ Religionis nova plantatio: me-
 „ſis multa, ſed operariis indigens;
 „cum vix adhuc aliquis converſio-
 „nis gratia illuc declinaret, ob ni-
 „miam vitæ ipſius, & paupertatis,
 „auſteritatem. Quæ tamen cum ani-
 „mum, vere Deum quærentem,
 „minime terrerent; poſthabita om-
 „ni hæſitatione, ac timore, illuc
 „vertit intentionem, poſſe ſe æſti-
 „mans, omnino ibi deliteſcere; &
 „abſcondi in abſcondito faciei Dei
 „ab omni conturbatione hominum,
 „maximeque ad effugium vanitatis,
 „ſeu de ſeculari generoſitate, ſeu
 „acrioris ingenii gratia, ſeu etiam
 „forte de *alicujus nominis Sanctitatis.*
 Hæc Guillelmus, qui proſequitur
 ingreſſum ejus in Ciſtercium; cum
 aliis ejus heroicis geſtis uſque ad
 Schiſma Petri Leonis in 1. lib. vi-
 tæ ejus.

Unde neſcio, ex qua Hiſ-
 toria Illuſtr. Caramuel *rom. 1. Theo-*
log. Regul. diſput. 70. in Regulam S.
Benedicti num. 1057. §. Addidi illud,
 agens de periculo proximo peccandi,
 accepit, difficultates augens, Ber-
 nardum *vere non dormiſſe*; ſed *ſi-*
mulaiſſe ſomnum. Cum primus Scrip-
 tor primordiorum S. Bernardi, à
 quo omnes alii acceperunt, dicat
 dormiſſe.

PRÆLUDIUM SECUNDUM.

QUEIS, QUANTISQUE, INTEGRITATIS VITÆ, ET SAPIENTIÆ SACRÆ DOTIBUS
 à Deo ornatus fuerit V. Guillelmus, Scriptor Libri 1. Vitæ D. Bernardi.

I VERE dixit Leodiensis *queſt. 1.*
notab. 3. n. 10., ad ferendum

judicium de narrationibus Guillelmi in
 vita D. Bernardi, non alias comminif-

cendas circumſtantias, præter eas, quas textus exprimit, vel quæ ſpontè, & in ſenſu obvio, deducuntur è textu. Quibus, juxta rectas regulas criticæ, ipſi lumini naturali conſonas, potuiſſet addere alia, quæ lector prænoſcere debet in Authore, cujus librum legit: mores nempe, ejus; ut talis, ſcilicet, fit, qui fallere nolit, nec audeat aliquid falſum dicere; non autem audeat tacere quod verum eſſe, & notitia dignum, judicaverit: ne in ejus Scripto gratiæ, aut ſimultatis ſuſpicio adlit. In his, quæ non vidit, nihil dicat, quod à fide dignis non acceperit; iſque, qui ſeveritati prudentiam adjunxerunt, & ad eligendum, & ad judicandum: ut recte præſcribit Illuſtriſſim. Canus *de Locis*, lib. XI. cap. 11.

2 Debet etiam prænoſcere, quem ſinem præcipuè intendat in ſuo Scripto: quam facultatem profeſſus fuerit; & quos in ea progreſſus fecerit. Quodſi ſcribat vitam alicujus heroicæ virtutis, gratia gratum faciente, virtutibus Theologicis, ac Cardinalibus inſuſis, doniſque Spiritus Sancti excelenter ornati; debet eſſe eruditus in Sacra Theologia, Sanctis Scripturis, Patrumque expoſitionibus earum; quaque methodo Scriptor in ſingulis procedat debet advertere, ut germanam ejus percipiat mentem. Quod cum debita proportione executi ſunt, qui profanis Authoribus exponendis ſe dederunt, ut patet in Juſto Lipſio.

3 Hæc autem omnia affuiſſe V. Guillelmo, non poterit non agnoſcere, lector ſcripti ejus, ſi debita cum reflexione cuncta conſideret. Nam quanta fuerit V. Guillelmi probitas, ſat, ſuperque, innotuit ex

amicitia cum ipſo SS. Bernardo: tam intima, ut Burchardus in admonitione, quæ extat ad calcem libri primi vitæ S. Doct. dicat: *Fuit autem præfato ſideli viro ſpecialis cauſa ſcribendi, amicitia, & familiaritas, quibus multo tempore conjunctus erat. Unde & tantam apud illum invenerat gratiam, ut vix alter magis intimus inveniretur ad ſecreta mutua dilectionis communicanda.* Et Card. Baronius, accerrimi judicii vir, ad ann. 1153. de vita S. Bernardi agens, Guillelmo absolute Sanctum pronuntiat: *Ita (inquiens) Guillelmus Abbas S. Theodorici, ſancti viri Sanctus Collega, in vita ejus primordiis.*

4 Eximiæ autem ſacræ Sapientiæ ejus irrefragabile teſtimonium perhibet ipſe S. Bernardus pluribus in locis. Legatur in prologo Apologia, quam, ſuggerente ipſo Guillelmo, ſcripſit ad conciliandos Cluniacenſes cum Ciſterciensibus: ubi ejus judicio deſert modum ſcribendi. Ipſi etiam dicavit librum de *Gratia, & libero arbitrio*; quo etiam nunc S. Theologia profeſſores utimur, propter ſubtiliſſimas, ac ſolidiſſimas Doctrinas in illo ſplendentes; cum ſit punctum adeo Theologicum, & arduum. Porro in ejus Prologo, cum Gullelmo loquens, ſic ait: *Opusculum de Gratia, & libero arbitrio, quod illa, qua ſcitis, occasione, aggreſſus ſum, eadem gratia adjuvante, peregi. Vereor tamen, ne aut grandia minus digne locutus inveniar, aut pertractata à pluribus ſuperſtuo retractaſſe. Proinde legite illud primus, & ſi judicatis, ſolus: ne ſi proferatur in medium, magis forte Scriptoris publicetur temeritas, quam Lectoris edificetur charitas. Quod ſi palam fieri utile probaveritis, tunc ſi quid obſcurius dictum adverteritis, quod*

in

in re obscura, servata congrua brevitate, dici planius potuisset, non sit vobis pigrum, aut emmendare per vos, aut mihi resignare emmendandum. Tanta apud egregium Doctorem S. Bernardum pollebat autoritate: & in conceptu tantæ sacræ sapientiæ Guillelmum habebat.

5 In Epistola etiam 88. ad illum Ogerium Canonicum Regularem, (quem Epistola 87. graviter reprehenderat, eo quod amore spiritualis quietis contra voluntatem Episcopi sui, extorta potius, quam impetrata ejus licentia, Abbatiam dimisserit; idem facit erga Guillelmum Abbatem S. Theodoricæ Epist. 85.) In illa igitur Epist. 88. cum ex Epistola Ogerii nosset traditum fuisse Guillelmo quoddam suum Opusculum, sic rescribit: *Ego quidem non jufferam: nec tamen displicet mihi. Ut quid enim libellus meus oculos ejus formidaret, cui se videndum animus meus totum, si posset, expanderet? Sed heu! In quanta Sermonis angustia mentio se ingressus de tali viro :: Obsecro te; ne graveris opportunitatem querere, quomodo ad eum pergas, prædictumque Opusculum non prius cuiquam scribendum, vel legendum exponas, quam cum eo totum pervideas, pariterque conferatis, & corrigatis, quæ corrigenda sunt. Hæc S. Doctor de Guillelmo. De quo, & ejus operibus, plura in Bibliotheca Cisterciensis, ad quem ordinem transit anno 1134., in Monasterio Signiacensi, prope Rhemos, usque ad 1550. in quo obiit. Videantur notæ fusioreſ Sap. Mabilonii ad præfatam Epist. 85.*

6 Porro, quid præcipuè Guillelmus intenderit, dum se accinxit scriptioni vitæ S. Bernardi, adhuc superstitis, ad petitionem Monachorum Clarevallensium, patet ex ejus

præfatione ad præfatum Scripturæ nempe, honorem, & gloriam Dei in suo mirifico servo Bernardo. Patet etiam, quibus mediis usus fuerit, ne à veritate aberraret: Testimonio, scilicet, præfatorum fratrum, ab ipsis visa, suggerentium: testimonio etiam Episcoporum, Clericorum, & Monachorum, quibus fidem non adhibere nemini liceret.

7 Quid verò narraturus sit, & qua methodo, ibidem prosequitur dicens: *Nequaquam totam vitam viri Dei suscepi digerendam; sed ex parte; experimenta, scilicet, aliqua viventis, & loquentis in eo Christi; opera quædam exterioris cum hominibus conversationis ejus; quæ de ipso viderunt, quibus datum est, & nos quoque ex parte vidimus, & audivimus, & manus nostra contrectaverunt. Non invisibilem illam vitam, viventis, & loquentis in eo Christi enarrare proposui: sed exteriora quadam vitæ ipsius: de puritate interioris Sanctitatis, & invisibilis conscientia, per opera exterioris hominis ad sensus hominis exteriores micantia: quæ, sicut omnibus scire, ita etiam quibuslibet, ut cumque scribere, in promptu est.*

8 De ipso autem Bernardo ibidem prius dixerat: *Ille vicens, & valens, quanto infirmior corpore, tanto firmior fide; & potens, non cessans agere digna memoria, & magna majoribus semper accumulans, quæ, ipso tacente, scriptorem requirant. Ego verò (subdit) jam delibor; ingentibus infirmitatibus corporis mortis hujus, & membris omnibus incipientibus habere responsum, vicina mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ; plurimumque timeo, ne sero me peniteat tandiu distulisse, quod priusquam pereffluam, velim omnimodis peregisse.*

9 Guillelmo equidem, quod

verebatur, accidit; nam ante D. Bernardum diem clausit extremum; scripto tantum primo libro primordiorum ejus. Quod etiam mihi accidere, in hujus Opusculi scriptio-
ne merito vereor. Sed quidquid acciderit, Dei voluntas fiat. Reflectendo autem ad præfationem Guillelmi, dum in ea ait; non ut accuratius digerenda; sed tantum ut in unum congerenda gesta Bernardi scri-

bere velim; non innuit secundas à se adhibendas curas; sed illa præparare, quæ alii post felicem Bernardi obitum digestiori modo scribere possint. Unde dum de adolescentia Bernardi agit, cuncta quidem exhibet, ordine, quo acciderunt; sed connexionem, quam inter se habent, eliquatius digerendam reliquit aliis. Et hæc nos, Dei auxilio fratri, præstare curabimus.

CAPUT II.

DISSERTATIO I. ET PRÆCIPUA:

DE MIRABILI CASTIMONIAE FACINORE,

per dona Consilii, & Timoris Domini, in animo adolescentis

D. Bernardi, nondum Monachi, operato

ab Omnipotenti Deo.

PRÆLUDIUM DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

§. I.

De Septem Donis in communi.

Victoriam à Deo datam S. Bernardo, in arduissima tentatione constituto, injecta petulantissima puella in ejus dormientis lectum, jam innuimus. Vicisse autem instinctu Dei, respondente donis Spiritus Sancti, innuitur in ipso titulo hujus dissertationis. Unde pro claritate dicendorum operæ pretium visum est, aliquid dicere de donis: de quibus inter prima rudimenta doctrinæ christianæ omnibus fidelibus aliqua notitia ministratur ab Ecclesia; relinquendo Theologis fusiorem eorum notitiam: ut sic omnes sciant, aliquando in-

digere hujusmodi Dei instinctu, dum, sciicet, nec fides, nec prudentia, etiam infusa, dictat, quid hic, & nunc sit agendum, ut peccatum vitemus: & ita omnes humiliter deprecemur Dominum, ut in necessitate suo instinctu nos agat.

2 De donis in communi agit Angelicus Doctor 1. 2. q. 68. De illis autem in particulari 22. ad calcem Virtutis, Theologicæ, aut Cardinalis, cui peculiariter singula dona respondent. Sanè dari dona Spiritus Sancti in anima Christi Domini expresse docet Isaias cap. II. v. 2. dicens: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientia, & intellectus, Spiritus Consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, &*
pie-

pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Certissimum etiam est, hæc Septem dona in anima iusto- rum esse, utpote qui Christo uniti sunt tanquam membra ejus viva, iisque adhuc indigent ad consequendam salutem. Quod D. Th. art. 2. probat, quia ipsis, etiam jam iustificatis, solent accidere aliqua, in quibus, nec per fidem, nec per prudentiam, adhuc infusam, possunt dirigi, ut rectè agant; quia licet fides superior sit donis, tamen ab homine habetur imperfectè; & per illam conscientiam perfectè formare non potest de agendis. Exemplum manifestum adest in Sancta Pelagia, laudata à Sancto Ambrosio, & aliis Sacris virginibus, quæ ut pudicitiam, & fidem servarent, prævererunt Carnifices, in ignem, aut flumen se projicientes, quod grande peccatum foret; si ab Spiritu Sancto per Dona actæ non fuissent. Exstat etiam insigne exemplum in S. Martiniano, constituto prope sèminam ad ripam maris. Quàm cum declinare non posset; suæ fragilitati merito timens, & consilii inops, à Deo præventus fuit consilio, & iudicio sibi immisso ab Spiritu Sancto; quo, secura conscientia, in mare se projecit, inde per Delfinos extractus ad terram, hoc disponente Deo, ut agnosceremus, hoc ex ejus instinctu Martinianum fecisse. Unde in Psalm. 142. dicitur: *Spiritus tuus bonu deducet me in terram rectam.* Et Rom. 8. v. 14.: *quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.*

3 An autem sint habitus realiter distincti à Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus? Sub lite Theologorum est. Subt. Doct. negat, cui adhæret Sap. Mag. Lorca, licet expeditius posset sententiam

communioem cum D. Thoma defendere; agnoscens cum S. Doct. 1. 2. q. 63. art. 3. nedum virtutes Cardinales acquisitas; verum etiam per se infusas, à quibus realiter, & specificè, distingui Dona, probat D. Th. art. 3. ex diversitate objecti formalis motivi. Dona namque sunt quædam perfectiones supernaturales hominis, quibus rectè disponitur, ut benè sequatur instinctum Spiritus Sancti: ad modum, quo virtutes morales disponunt hominem, & ejus vires appetitivas, ad promptè obediendum rationi, perfectæ per virtutem prudentiæ. Unde sicut virtutes morales sunt inter se, conexæ media prudentia, ita & dona sunt inter se conexa media charitate, ut docet S. Doct. art. 5.

4 Sunt quidem imperfectiora virtutibus Theologicis, à quibus regulantur, ut cum D. Gregorio docet D. Th. art. 8: sed sunt perfectiora virtutibus moralibus, etiam per se infusis, licet ordine generationis illis posteriora. Unde oritur, quòd S. Doct. docet ad 2: quòd, scilicet, quantò homo justus (in quo solo sunt dona) meliùs fuerit dispositus per virtutes, tanto meliùs dispositus est, ut in occasione necessaria, in qua per fidem, & prudentiam non potest dirigi, moveatur per instinctum Spiritus Sancti, respective respondentem dono, in cujus materia est illa nova occasio. Cujus rationem dedit S. Doct. 3. Contrag. c. 159. docens, quòd Deus quantum in se est, utpote qui vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut docet Apost. paratus est dare illam etiam gratiam actualem efficacem (qua etiam iustificatus indiget, ut rectè operetur, & non peccet; ut docet

S. Doct. 1. 2. q. 109. a. 9) omnibus, qui ejus receptioni impedimentum non apponunt: sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit; si ei hinc aliquod malum adveniat: licet videre non possit, nisi lumine Solis præveniatur.

5 Qua doctrina, licet aliqui Thomistæ, & maximè Complutenses, uti nolint: nos tamen cum Sap. Magistro Joanne à S. Thoma, in illa Academia egregio Professore, libenter utemur, quoties occasio occurrerit; utpote adeò expressa in D. Th. & principiis nostræ Scholæ, Præexcelli S. P. Augustini Doctrinis adeò conformi. Nam ut docet lib. de Prædest. ss. cap. 10. inter prædestinationem, & gratiam, hæc sola est differentia; quod prædestinatio est æterna gratiæ præparatio; gratia autem est ipsa temporalis donatio. Quod igitur homo gratiæ non præstet impedimentum, ex æterna misericordii providentia Dei provenit, sicut ex ejus providentia permittente, quod impedimentum præstet in tempore. Manifestum est autem, illum hominem justum meliùs dispositum esse, ut impedimentum non præstet instinctui Dei per dona moventi, qui meliùs dispositus est per virtutes Theologicas, & Morales. Quod serio omnes considerare deberemus; & maxime hi, qui conscii sunt peccati mortalis, quòd commiserunt, ut à tam infelici statu, implorata Dei misericordia, eriperentur. Hi namque, utpote gratiæ gratum faciente, & habitibus donorum carentes, omnino indispositi sunt, ut à Deo moveantur ad operationem hic & nunc urgentem, & necessariam ad vitandum novum peccatum.

6 Posset dubitari: an actus elicitus per dona sint verè meritorii augmenti gratiæ, & vitæ eternæ? Cum ad illos eliciendos non tam se agant, quàm à Deo agantur. Sed certissimum est, verè esse valde meritorios, ut expresse docet S. Doct. q. 69. de Beatitudinibus, quas Christus docuit Matth. 5. & Luc. 6. sicut, q. 70. de fructibus Spiritus Sancti, contrapositis operibus carnis, ut docet Apost. ad Galat. 5. Quorum notitiam Ecclesia omnibus dat in ipsis rudimentis Doctrinæ Christianæ. Beatitudines namque, ut ibi docet S. Doct. art. 1, sunt actus elicitus à Donis, in quibus Dominus primo posuit meritum, ut in illa prima: *Beati pauperes Spiritu: Deinde præmium, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*, correspondens, ut docet art. 2, juxta aliquos SS. in patria: sed juxta S. Augustinum, & alios, etiam in hac vita; quatenus per actus donorum est quædam inchoatio Beatitudinis patriæ. Hi autem actus donorum ita eliciuntur ab homine acto à Deo, ut agatur, ut & ipse agat, agnoscens, objectum actus ex se non necessitare ad ejus elicientiam; ac proinde liberè in illo agere. Doctrina hæc expressa est in D. Th. 1. p. q. 63. art. 5. ad 3. Ubi asserens, Angelum non potuisse peccare in primo instanti suæ creationis; docet de facto in illo primo instanti meruisse de condigno vitam æternam per actum, quo conversus est in Deum, ut objectum beatitudinis supernæ. Et 1. 2. q. 111. art. 2. ubi cum D. Augustino, de *Grat. & lib. arb. c. 17*, actum elicivum à gratia operante, (quo v. g. efficaciter intendit penitere de peccatis, licet in eo non moveatur ab alio præcedenti actu) constituit

tituit verè meritorium; uti & elicium à gratia cooperante, qua fructuose elicit actus penitentiae.

7. Dona sunt in omnibus potentis, in quibus possunt recipi virtutes: ut ita omnes illæ, quæ sunt principia humanorum actuum, sint in justis rectè dispositæ, ut moveantur per instinctum Spiritus Sancti. Aliaque sunt primariò speculativa, ad vitam contemplativam spectantia, & sapientia, intellectus, & scientia, (circa quæ postrema 2. 2. q. 8. & 9. moderatur, D. Th. quæ docuerat 1. 2. q. 68. art. 4.) secundario verò practica. Consilium autem dirigens pietatem, fortitudinem, & timorem Domini, sunt primariò practica.

8. Quando actus elicited ab aliquo, cujus Sanctitatem Canonizavit Ecclesia, & in illo laudatur; licet fuerit contra leges communes, qualis fuit actus S. Martiniani, clare constat, illum actum elicited fuisse medio Dono Spiritus Sancti. Sed Deus non est ligatus, ut suo instinctu tantum moveat in his casibus extraordinariis. Unde constitutos in gratia sæpe suo instinctu movet ad aliquas operationes, etiam regulares, quin ipsi hanc motionem percipiant.

9. Sed quia S. August. lib. 1. de Civit. cap. 26. de his, quæ, fiunt contra leges communes, docet illum, qui audit, non licere se occidere, faciat, si iussit, cujus non licet iussa contemnere: tantummodo videat, utrum divina iussio nullo nutet incerto; merito dubitari potest, unde sibi idcirco constare possit: ita ut secunda conscientia operari possit ille, qui sic agitur ab Spiritu Sancto? Sanè D. Th. 2. 2. q. 171. art. 5. inquirens: Utrum Propheta discernat, quæ divinitus percipit, ab his, quæ

proprio Spiritu videt? Tangens revelationem factam Abraham de maculatione filii: Quod (ait) nullatenus fecisset, nisi de divina revelatione certissimus esset; docet, hanc certitudinem fieri, non precise per instinctum, quem interdum etiam nescientes humana mentes patiuntur, ut Augustinus dicit super Genes. ad litt. lib. 2. cap. 7: sed per revelationem expressam. Hanc autem revelationem expressam non ponimus in actibus elicited per Dona contra leges communes: Respondemus hanc esse disparitatem inter prophetiam, & Dona: quod Prophetia non est habitus, ut expresse docet S. Doct. ibidem art. 2, nec exilit in homine per modum permanentis, sed per modum passionis, & impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere: unde ut omninò certificet, requiritur revelatio expressa. Sed Dona, ut jam vidimus, sunt in justis per modum habitus permanentis, tanquam dispositiones, ut à Deo moveantur, quando est necessarium, ut rectè agant, ad quod non possunt dirigi per fidem, aut prudentiam, etiam infusam. Tunc autem Deus ipso instinctu illos certificat, ut secunda conscientia operentur.

10. Sed hinc resultat alia difficultas. Nam habitibus utimur, cum volumus: ergo justus poterit uti Dono, quoties voluerit; quod est absurdum: sicut ex eo, quod, si Prophetia sit habitus, infert D. Thom. quod Propheta prophetarent, quoties vellent; quod tamen est falsum; ut patet in Nathan, qui David inquirenti; an Deo placeret, à se ædificari Templum? affirmativè respondit; sed non ut Propheta; sed ex spiritu proprio, ut notavit D. Gregorius: & quia res erat maximi momen-

menti, à Deo admonitus est, ut David diceret, non ab ipso, homine sanguinum, sed à filio suo Salomone, pacifico, Templum esse adificandum.

11 Respondetur, distinguendo antecedens: habitibus, *per se primo ordinatis ad agendum*; concedo: *ad agendum, prius recipiendo ab alio*; nego. In ipso appetitu innato, explicatur solutio. Nam in nobis est appetitus innatus ad scientiam, qua elicimus cognitionem veritatum mediarum. Sed quia hanc cognitionem non possumus elicere, nisi recipiendo prius speciem impressam ab intellectu agente; ille, qui has species non recepit, non habet scientiam. Hæc est autem disparitas inter Prophetiam, & Dona Spiritus Sancti: quòd lumen Propheticum, per se primo ordinatur ad agendum, scilicet, ad cognoscendum, vel enuntiandum id, quod Deus revelabit. Sed donum Spiritus Sancti, ut vidimus ex 1. 2. q. 68. art. 3. est dispositio, per se primo, & immediate, ordinata ad recipiendum instinctum Spiritus Sancti, quo potentia moveatur ad agendum, quod Deus vult per illam agit. Quem instinctum habere non est sub libertate arbitrii, sed immititur à Deo, quando, & ubi vult. Immititur autem iustis, sic recte dispositis per dona, quoties est necessarium, ut peccatum vitent, si se non impediunt: aliquando, etiam si sic non sit necessarium: aliquando ad opera extraordinaria, & contra leges communes; aliquando ad regularia; & si homo hoc non percipiat.

§. II.

De Donis in particulari.

12 **D**E his agit. D. Thom. 2. 2. ad calcem singularum virtutum Theologicarum, & Cardina-

lium, & eo ordine, quo de illis agit, & prout illis correspondent. Primo igitur agit de respondentibus virtuti Fidei. Cui primo respondet *Donum intellectus*, de quo *quasi. 8.* Et quia intelligere est quasi intus legere; ad hoc Donum pertinet rectè capere veritates à Deo suæ Ecclesiæ revelatas, sive in Scripturis, sive per divinam traditionem; & penetrare quæ in illis latent: scilicet, sub verbis, significata verborum, sub similitudinibus, & figuris, veritates figuratas, & effectus in causis. De quibus, magis, aut minus penetrat, qui perfectius, aut minus perfectum habet Donum, quantum ad directionem propriam. Magis namque penetrare quantum ad directionem aliorum, jam non pertinet ad Donum commune omnibus iustis, sed est gratia gratis data: ut de *Dono sapientiæ* docet S. Doct. ibid. *quæst. 45. art. 5.* Quod intellige de omnibus aliis Donis. Huic *Dono* correspondet illa beatitudo: *Beati mundo corde.*

13 Fidei etiam correspondet *Donum scientiæ*; de quo *quasi. 9.* Ad hoc Donum pertinet iudicare de omnibus veritatibus creatis revelatis: & discernere inter credenda, & non credenda: ita ut iustus per hoc Donum iudicet practicè, quid debeat credere, quid verò respuere; etiam circa veritates æternas, & divinas, qualis v. g. est Trinitas Personarum; quia licet iudicare de his veritatibus secundum se ipsas, & dirigere per illas ad agenda, per quandam unionem ad ipsas per charitatem, expectet ad *Donum sapientiæ*; tamen (ut ait S. D. art. 2. ad 1.) quia ipsa fides est quoddam temporale in animo credentis; scire quid credendum sit, pertinet ad *Donum scientiæ.*

14 Hinc inferitur, quòd si aliquis

quis deditus meditationi divinorum (idem de quolibet alio, facilius autem, potest in illo accidere) illustus à Dæmone, vel non credat, quæ tenetur credere, vel credat falsa contra ea mysteria, quæ communiter omnibus proponuntur, ut expresse credenda, & publicè celebrat Ecclesia; quantumcumque pius videatur, nec sit hypocrita, sed possit verè dicere: nihil mihi conscius sum; revera tamen est in peccato mortali habituali, quia si per gratiam gratum facientem, & charitatem esset unitus Deo; proculdubio haberet omnia dona Spiritus Sancti: & per *Donum scientiæ* illos errores expulisset, nec in illos incidisset. Limitatur tamen hæc assertio, quantum ad ea, quæ communiter proponuntur, ut expresse credenda: quia de veritatibus pertinentibus ad subtilitates fidei, Div. Thom. 2. 2. q. 2. art. 6. ad 2. sic docet: *Simplices non sunt examinandi de subtilitatibus fidei; nisi quando habetur suspicio, quod sint ab hæreticis depravati, qui in his, quæ ad subtilitatem fidei pertinent: solent fidem simplicium depravare. Si tamen inveniuntur non pertinaciter perversa doctrina adherere; si in talibus ex simplicitate desiciunt, non eis imputatur.*

15 Virtuti *spei* respondet *Donum timoris*: de quo diffusè agit S. D. *quæst.* 19, prout primò, & principaliter respicit Deum, vitando ejus efforsam. Digna est hæc quæstio, quæ legatur; quia ibi agitur de diversis speciebus timoris, scilicet casto, & filiali, qui competit justis mundano, & peccaminoso, & servili, qui potest esse bonus, & conducens ad salutem æternam, tamquam disponens peccatorem, ut fructuosè poeniteat de suis peccatis, & aliquando ipsum justum, ut tentationi non cedat.

16 Virtuti *charitatis* respondet *Donum sapientiæ*, quod subiectatur in intellectu, quantum ad partem superiorem ejus, ut D. Thom. de illo agens *quæst.* 45. docet ex D. Aug. lib. 12. de *Trinitate* cap. 14: & est primariò speculativum, intendens conspiciendis rationibus æternis divinis in se ipsis; secundariò autem practicum, prout consulit illa divina, & per illa judicat de humanis actibus, per divinas illas regulas regendis, & agendis. Huic *Dono* respondet: *Beati pacifici.*

17 Virtuti *prudentiæ* correspondet *Donum consilii*, de quo Div. Thom. *quæst.* 52: & ejus est dirigere actus donorum *pietatis, fortitudinis, & timoris Domini.* Dicitur autem potius *consilium*, quàm *præceptum*, quia per illud creatura, non tam se movet, quàm movetur à Deo, nec agit consilio proprio, aut judicio, sed hoc immititur à Deo, simul certificante, & assecurante conscientiam, quando per illud movetur ad agendum contra regulas communes: manetque in Beatis, in quibus cognitionem agendorum causat Deus (ait S. D. art. 3.) non quasi ignorantibus, sed quasi continuando in eis cognitionem eorum, quæ agenda sunt. Tamen quedam sunt, quæ Beati non cognoscunt, quia non sunt de essentia beatitudinis. Quantum ad hoc mens Beatorum movetur aliter à Deo, & aliter mens Viatorum: nam mens Viatorum movetur à Deo in agendis per hoc, quod sedatur anxietas dubitationis in eis precedens; in mente vero Beatorum est simplex nescientia; quia etiam Angeli purgantur secundum Dionysium 7. cap. *Cælest. hier. arch.* Non autem precedit in eis inquisitio dubitationis, sed simplex conversio ad Deum: & hoc est Deum consulere, sicut August. dicit 5. super *Genes.*

ad litt. cap. 19. : & secundum hoc *Donum consilii est in Beatis.* Huic *Dono* respondet, *Beati Misericordes.*

18 Virtuti *Justitiae* respondet *Donum Pietatis*, de quo S. D. quæst. 121. Eius est affectu filiali cultum exhibere Deo, ut Patri. Qui actus altior est illo, quo virtus Religionis colit Deum, ut Creatorem, & Dominum. Et sicut virtus Pietatis, qua filii colunt parentes carnales, etiam extenditur ad consanguineos, prout pertinent ad suos parentes; ita *Donum Pietatis* extenditur ad dandum Cultum Sanctis, & omnibus hominibus, secundum quod pertinent ad Deum, ut communem, & primum Patrem omnium. Unde in patria erit mutua honoratio omnium inter se. Huic *Dono* respondet: *Beati Mitte.*

19 Virtuti *fortitudinis* respondet *Donum fortitudinis*, de quo S. D. quæst. 139. Eius est erigere animum, ut perveniat ad finem cujuslibet boni operis inchoati. Quod si morte præveniatur; Spiritus Sanctus operatur in eo, quod perducatur illum in vitam æternam, quæ est finis omnium bonorum operum. *Beatitudo* huic *Dono* respondens est: *Beati qui esuriunt, & sitiunt Justitiam.*

20 Virtuti *temperantiae* respondet, licet secundariò, idem *Donum timoris Domini*, quod primariò correspondet spei. Ita S. D. quæst. 141. art. 1. ad 3. quia per hoc *Donum Justus* refugit quæcumque ipsum inducere possunt ad offensam Dei. *Maxime autem* (inquit) *homo indiget timore divino ad fugienda ea, circa quæ est temperantia, scilicet, delectationes sensibiles tactus, & gustus.* Et licet D. Th. huic *Dono*, prout sic, non assignaverit *beatitudinem*

specialem; tamen juxta *Doctrinam* ejus 1. 2. quæst. 69. de *Beatitudinibus* art. 3. ad 4. (ubi docet *beatitudines*, quæ reperiuntur in *Sacra Scriptura* reduci ad has nominatas ab Evangelistis Matheo, & Luca;) dicimus, huic *Dono*, prout sic, respondere *beatitudinem: Beati, qui lugent.*

21 Sed quæret aliquis: cum *beatitudines* sint actus elicitæ à *Donis*, ut nos docuit D. Th. & *Dona* sint tantum septem, numerentur octo *beatitudines*? Ad hoc satisfacit S. D. loco proxime laudato, in solutione ad 5, sic: *Dicendum, quod octava beatitudo est quadam confirmatio, & manifestatio omnium precedentium.* Ex hoc enim, quod aliquis est confirmatus in paupertate Spiritus, & mititate, & aliis sequentibus, provenit, quod ab his bonis propter aliquam persecutionem non recedit. Unde octava *beatitudo* quodammodo ad septem precedentes pertinet.

§. III.

De Donis Consilii, & Timoris diffusius.

22 CUM hæc tractatio de *Donis* assumpta sit propter dicenda in hac prima, & præcipua dissertatione, & in ea recurrendum sit potissimum ad *Dona Consilii, & timoris Domini*; post compendiosè dicta de *Donis* in communi, & in particulari, (remittendo ad Sapientissimum Doctorem Fr. Joannem à Sancto Thoma tom. 2. in 1. 2. ad quæst. 68. disp. 18. illum, qui plenius de his instrui desideraverit) placuit paulò fusius de his disserere: quia conducunt valde ad præfatam dissertationem dicenda de *Dono Consilii, & obvia* non sunt dicenda de *Dono timoris.*

DE DONO TIMORIS.

23 **D**E Dono Timoris, reperto in Christo, & Beatis, dictavi discipulis in Cathedra Salmantina, in tractatu de Virtute Spei, utcumque potuit tenuitas mea. Postea autem vidi speciosas doctrinas D. Thom. quibus, ni vehementer fallor, clarissimè ostenditur, qualiter in illis sit propriè fuga à malo peccati, licèt ipsis prorsùs impossibile, & consequenter cum omni proprietate timor ille, qui majore cum difficultate salvatur. Nam si præcisè intendatur, salvare illam speciem timoris, quam ex Damasceno lib. 2. *Orthod. Fidei cap. 15.* inter sex species ab illo assignatas, exponit D. Th. 1. 2. *quasi. 41. art. 4,* & dicitur *Admiratio*, & est, qua quis refugit considerationem rei admodum magnæ, sivè bona, sivè mala sit; haud difficilè in Christo, & in beatis salvari poterit: sicut à S. D. ponitur in Christo 3. *part. quasi. 7. art. 6,* & in Beatis 2. 2. *quasi. 19. art. 11.* ex D. Gregorio 17. *Moral. cap. 15.*

24 Ut autem statuatur in illis Donum Timoris, habens actum fugæ à malo simpliciter tali, peccati, seu culpæ, notanda est doctrina S. D. 1. 2. *quasi. 23. art. 2.* ubi hanc differentiam statuit inter affectus partit concupiscibilis, & irascibilis: quòd contrarietas in concupiscibili, solum est penes bonum, & malum; qualis est inter amorem & odium, desiderium, & fugam: sed in irascibili etiam est contrarietas penes accessum, & recessum ad idem bonum, vel ad idem malum, sicut est contrarietas inter audaciam & timorem: nam audacia aggreditur victoriam mali ardui imminenti, & timor fugit à tali malo.

25 Quo supposito, conclusio nostra est: In Christo, & Beatis est propriè timor, non prout opponitur spei, (ut expresse docemur 1. 2. *quasi. 67. art. 4. ad 2,*) sed prout opponitur audacia, & fugit illud malum, quòd audaciter aggressus fuit Lucifer, dum dixit: *Similis ero Altissimo.* Quæ conclusio expressa est in S. D. loco proximè laudato ex 2. 2. ubi quærens: *Utrum Donum Timoris maneat in patria?* Et affirmativè resp. sic probat: *Sicut bonum uniuscujusque est, ut in suo ordine consistat: ita malum uniuscujusque est, ut suum ordinem deserat.* Ordo autem creatura rationalis est ut sit sub Deo, & super ceteras creaturas. Undè sicut malum creatura rationalis est, ut subdat se creatura inferiori per amorem; ita etiam malum ejus est, si Deo se non subjiciat, sed in ipsum præsumptuosè insiliat, vel contemnat. Hoc autem malum creatura rationali secundum suam naturam considerata possibile est propter naturalem liberi arbitrii flexibilitatem: sed in beatis fit non possibile per gloria perfectionem, & in Christo etiam per unionem hypostaticam. Fuga ergo hujus mali, quòd est Deo non subici, ut possibilis naturæ, impossibilis autem beatitudini, erit in patria. In via autem est fuga hujus mali ut omnino possibilis. In Deo autem nullo modo potest esse timor, quia non habet superiorem, cui subjiciatur, ut docet in solutione ad 2.

26 Eandem doctrinam tradit ibidem *quasi. 7. art. 1.* Ubi inquirens: *Utrum timor sit effectus fidei?* Postquam explicuit, qualiter timor servilis fit effectus fidei, quatenus per illam fit in nobis apprehensio de malis penalibus, quæ secundum divinum judicium inferuntur: Est etiam (inquit) *causa timoris filialis, quous quis timet separari à Deo, vel quo quis*

C
refu-

refugit se Deo comparare, reverendo ipsum, in quantum per fidem hanc existimationem habemus de Deo, quod sit quoddam immensum, & altissimum bonum, à quo separari est pessimum, & cui velle equari est malum. Hæc D. Thom. Hanc autem exultimationem de excellentia Dei perfectiori modo habent Beati per lumen gloriæ, quàm in via habeamus per lumen fidei.

DE DONO CONSILII.

28 **S**AP. Doctor Franciscus Suarez, lib. 2. de Gratia agit de Donis. Cap. autem 21. à n. 6, clarissime de *Dono Consilii*. Undè placuit exscribere, quæ ibi docet; quia tradens doctrinam per omnia conformem menti D. Thomæ, roborat & confirmat cuncta à nobis statuenda in præsentī dissertatione. Igitur præfato num. 6, agens de *Dono Consilii*. „*Sub qua voce*, (inquit) *practicum* „*judicium* ad operandum movens „indicatum est: quia est tale, ut „non tam consilio proprio operantis, quàm Spiritus Sancti moventis, feratur. Undè respondet quidem prudentiæ, & in eadem materia versatur; longè verò aliter. Nam Prudentia naturalis per proprium hominis discursum applicat generalia principia naturalia ad particularem actum, vel occasionem operandi, & juxta illa dicat, quid sit agendum; & simili modo procedit infusa ex regulis revelatis. At verò hoc consilium, Spiritus Sancti convenit quidem cum judicio Prudentiæ in modo practicè judicandi; in quo differt ab aliis tribus *Donis intellectus*, („primariò speculativis.) *Dissert* tamen ab aliis judiciis practicè prac-

tis in regula, & principio, cui nititur, quia fundatur solum in instinctu Spiritus Sancti, qui sæpe est præter ordinarias regulas, tam supernaturales, quàm naturales. Et licet interdum esse possit illi conformis; homo, qui sic movetur, non alias regulas attendit, nec discursu quasi proprio movetur, sed agitur potius, quàm agat.

29 „*Et quidem hunc operandi* „*modum*, (prosequitur num. 7.) „*posse in hominibus justis* inveniri, „manifestum est: quia Spiritus Sanctus, qui supremus Dominus est „nostræ voluntatis, non obstringitur legibus, vel naturæ, vel gratiæ: estque omnipotens ad movendas hominum mentes, quò „voluerit, & prout voluerit. Sæpe autem uti hoc dominio, & potestate supponit Innoc. III. in cap. *Licet* 18. *de Regul.*; ubi motionem hanc per instinctum Spiritus Sancti vocat legem privatam, quàm sæpe publica legi derogare dicit. Sumpsitque ex Urbano II. in cap. *Dua sunt*. 2. causa 10. quæst. 2. Potestque nonnullis exemplis, partim ex scripturis, partim ex Historiis Martyrum ostendi. Ex scripturis, Samson se interficiens, cum Philisteis; & Eleazarus se interficiens subtus Elephantem positus. Ex Historiis, S. Pelagia, cum Sociabus, se injicientibus in flumen: quas laudat D. Amb. lib. 3. *de Virg.*; & S. Appollonia insiliens in rogam, à carnificibus sibi paratum, ut ex Dionys. Alex. refert Eusebius lib. 6. *Hist. c.* 34.

30 „*His ergo exemplis* (ait „num. 8.) *manifestum* sit, interdum fieri virtute, & instinctu „Spiritus Sancti, ut homo interiori „judicet practicè aliquid faciendum, „quod secundum communes leges „di-

„divinas non esset faciendum ; &
 „ nihilominus tale iudicium practicè
 „ verum , ac rectum sit : non enim
 „ potest esse iudicium ab Spiritu
 „ Sancto , quod hujusmodi non sit.
 „ Tale ergo iudicium dicimus esse
 „ distinctum à iudicio Prudentiæ
 „ infusæ :: Ut autem sit rectum,
 „ oportet , quod homini , sic mo-
 „ to , certò constet , Spiritum Sanc-
 „ tum esse , qui movet , ut docet
 „ D. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 26 ::
 „ Et licet id nos satis explicare non
 „ possimus ; tamen Spiritui Sancto
 „ difficilè non est , mentem homi-
 „ nis ita movere , ut nullum ei re-
 „ linquat ambigendi locum quin sit
 „ ipse , qui movet.

31 „ Ad hunc ergo actum
 „ (num. 9.) dicimus esse speciale
 „ Donum Spiritus Sancti practicum,
 „ & intellectuale , quod respondet
 „ Prudentiæ :: versarique potest in
 „ omni materia virtutis Moralis :
 „ ut in materia Religionis aliqui

„ putant votum Ieptè ; idemque di-
 „ cendum est in materia iustitiæ de
 „ iudicio Salomonis 3. Reg. 3. Est
 „ enim animadvertendum , quòd
 „ licet modus sic operandi eviden-
 „ tius cognoscatur in materia , quæ
 „ alias esset illicita , non intervenien-
 „ te speciali motione Spiritus Sancti,
 „ quia in illa est maxime necessa-
 „ rium hoc Donum ; nihilominus
 „ ad illam non limitatur : potest
 „ enim Spiritus Sanctus in quacum-
 „ que materia prævenire hominis
 „ discursum , eique singulari modo
 „ tale iudicium infundere. Hactenus
 „ Sapientissimus Suarez , suæ doctæ
 „ Scholæ Jesuiticæ facile Princeps. Qui-
 „ bus , ad exponendum , roboran-
 „ damque in præsentī dissertatione
 „ resolutionem nostram per recursum
 „ ad Dona Consilii , & Timoris Do-
 „ mini , (cum casus præsens sit in
 „ materia virtutis temperantiæ ;) ni-
 „ hil aptius , expressius , aut clarius,
 „ adduci possit.

ARTICULUS I.

UTRUM IN CASU PUELLÆ INJECTÆ IN LEC-
 tum adolescentis Bernardi, prout narratur à V. Guillelmo,
 sit aliquid impudicum , inficiens
 Bernardum ?

§. I.

Exhibito factò verbis Guillelmi ; exposito-
 que sensu questionis ; referuntur
 distinctæ sententiæ.

1 Licet narratio hujus casus ex-
 tet n. 7. cap. 1. in Præudio 1,
 exhibente ex lib. 1. vitæ D. Bernardi
 scripto à V. Guillelmo , cuncta gesta

ab illo in sua infantia , pueritia , &
 adolescentia , usque ad Monachatum ;
 tamen quia hoc factum est materia,
 quæ occasionem dedit præsentī dis-
 sertationi ; placuit illud in limine
 ejus exhibere eisdem verbis , quibus
 narratur à V. Guillelmo lib. 1. cap.
 apud Horstium 3. aliàs 1.

2 Circa idem tempus (ait V. Guillelmus) *inſinctu Dæmonis in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille ſentiens, cum omni pace, & ſilentio, partem ei lectuli, quam occupaverat, ceſſit, & in latus alterum ſe convertit, atque dormivit. Miſera verò illa aliquandiu jacuit ſuſtinens, & expectans: deinde palpans, & ſimulans. Noviffimè, cum immobilis ille perſiſteret, illa, licet impudentiſſima eſſet, erubuit, & horrore ingenti, atque admiratione perſuſa, relicto eo, ſurgens auſugit.*

3 Sic narrat ille, à quo cæteri, qui de Primordiis D. Bernardi ſcripſerunt, potuerunt accipere; cum fuerit primus, qui ſæculo XII, ſuperſtite adhuc S. Doctore, ab ipſo, & aliis fideliffimis teſtibus, ut ait in præfatione ſui libri, in gloriam, & honorem Dei, in unum congerere ſtatuerit, quæ in ſuo mirifico ſervo Deus operatus eſt; ut poſt obitum Bernardi ea accuratiùs alii digererent, & evulgarent; dolens, tandiu diſtuliffe, & timens priùs mori, quàm hoc perficeret, ut accidit, diem claudens extremum, ſuperſtite adhuc D. Bernardo. A Guillelmi ſcripto hoc factum accepit Alanus Monachus Clarævallenſis, Epifcopus Altiſſiodoreniſis poſtea. Qui abdicato Epifcopatu, ad ſuum Monalterium rediens eodem, annò 1153, quo D. Bernardus ad Cælum aſcendit, aggreſſus eſt vitam ejus in compendium redigere ex libris ſcriptis à Guillelmo, Arnoldo, ſeu Ernaldo Monacho Benedictino, Abbate Bonævallis, & Gaufrido, Monacho Clarævallenſi, & Abbate, Notario S. Bernardi, quos Sapientiſſimus Mabillonius, meritò extollit, ut inſignes Biographos, & vitæ S. Bernardi ſcriptores, in admonitione ad

Vitas S. Bernardi. Ab hoc acceperunt Horſtius, & Mabillonius, ipſeque Pinius, hoc factum; commendans illum, ad marginem in vita, quam inferuit operi Bollandiano, & in ſeorſa, nuncupata Rmo. Abbati Clarævallenſi, evulgata anno 1739; licet ejuſmodi commendationis oblitus (quòd in homine, dedito arduo muneri continuandi opus Bollandianum in acta ſſ., facile potuit accidere) ad calcem præfatæ ſeorſæ editionis, jam prorfus perfectæ, appoſuerit annotationem, quæ præſenti diſſertationi occaſionem præbuit.

4 Porrò quæſtio præſens in duplici ſenſu potèſt diſputari. Primò, an ſit aliquid ex ſua ſpecie impudicum, ſed actu non inſiciens Bernardum; quia Deus diſpenſaverit? Sicut Propheta Oſeas abſque peccato acceſſit ad mulierem fornicariam. In quo ſenſu, de illa latè diſputat Leodièniſis quæſt. 1. Scholaſtica §. 3. & rectè tenet partem negativam. Quia ut bene ex Chryſoſt. *hom. 56.* ponderat, num. 62, in lege Gratia, poſtquam filius Dei, licet ad fatiſfaciendum Deo pro peccatis noſtris, in humanitate aſſumpta tot injurias uſque ad mortem crucis ſuſtinere dignatus ſit; tamen non niſi ex puriſſima Virgine naſci voluit, non eſt credendum, Deum diſpenſaſſe cum aliquo in aliquo ex ſua ſpecie impudico.

5 Occaſione autem hujus, obiter dabitur regula ex D. Th. in 1. *diſt. 47. art. 4.*, ut ſciatur, quænam præcepta naturalia Dei ſint à Deo diſpenſabilia, & eſt hujusmodi. Quoties in materia à Deo præcepta, ſublato ordine debito actus ad finem proximum, adhuc potèſt in actu ſervari debitus ordo ad Deum,

Déum, ut ultimum finem; potest dari dispensatio, & Deus potest præcipere, ut fiat actus, qui proinde licitè fiet. Sic dispensavit cum Osea, cum illi dixit: *Vade, & sume tibi mulierem fornicariam*: id est, mulierem uxoratam, sed adulteram, ut intelligit D. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 4: Et congruit significationi intentæ in textu. Subditur enim: *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino*. In illo namque accessu fornicario deficit ordo per naturam debitus ad finem proximum, accessus, scilicet, congrui ad debitam educationem prolis: sed permansit debitus ordo ad Deum præcipientem. Quando autem non potest salvari debitus ordo ad Deum ultimum finem, impossibilis est dispensatio. Undè non potest cadere dispensatio in hoc, quod aliquis mentiatur, Deum odio habeat, blasphemet, veritati ab ipso revelatæ dissentiat, & similibus.

6 In alio sensu potest procedere quæstio: an, scilicet, in facto Bernardi, prout refertur à Guillelmo, sit aliquid impudicum; vel quia mansit cum impudica in eodem lecto, vel quia debuit prævidere, & vitare palpas petulantis fæminæ? In quo sensu Pinius in annotatione citata super illa verba Guillelmi, quam ille sentiens, sic ait: *Quæ sequuntur debuerant castigari in annotatis*: Res enim illa, consideratis mature verbis, & circumstantiis, quibus eam à Biographo accidisse narratur, magnas habet difficultates. Nam quomodo Bernardus tanta vite castimoniæ præditus, & tam circumspectus ad cavenda omnia, quæ Angelica isti virtuti repugnant: quomodo (inquam) in isto proximo, ac præsentissimo peccandi periculo constitutus; cum omni pæce,

& silentio partem isti puella procacissima lectuli, quam occupaverat, cecidit, & in latus alterum se convertit, atque dormivit, &c. uti asserit idem Guillelmus, atque adeo sine clamore, sine reluctantiâ, sine fuza, de proximo isto incendio unice manebat securus? Hæc Pinius licet postea subdat, quod: *si ita accidit, erit unum ex multis, quæ leguntur in Vitis Sanctorum*. Undè non reputat hoc factum absolute impossibile; sed possibile innuit per actus Donorum Spiritus Sancti: & consequenter, non judicat in hoc facto fuisse aliquid, impudicum inficiens Bernardum ex sua specie, prout refertur à Guillelmo, quia nemo dicet, Spiritum Sanctum influere in aliquid impudicum.

7 Leodienfis autem vim faciens in palpis, & stimulationibus puellæ stimulantis ad turpia; non modo impudicitiam affuisse judicat, sed asserit factum hoc afane esse erroribus hæreticis, damnatis in Michaele Molinos; quod multis probat toto §. 5. à num. 86. Sed quia vidit, quanta authoritate in Ecclesia polleat V. Guillelmus; in §. 6, conatur illum excusare variis viis: & inter alias num. 107. proponit sequentem: *Esto crediderit Guillelmus, in casu quæstionis, plena cum advertentia operatum fuisse Bernardum; atramen factum non proposuit ut licitum & honestum*: nullo quippe verbo significat illud sibi probari, sed simpliciter narrat, prout accepit, Lectorum iudicio reliquens æstimandum. Novum autem non est in Vitis Sanctorum, inter exempla virtutis narrari nonnulla, quæ sicut homines, aliquando peccarunt. Hæc Leodienfis: In quibus jure mireris, quantum valeat, & ad quæ trahat iudicii præoccupatio; cum ut Guillelmum excuset, accuset ipsam

ipsum S. Bernardum de peccato lethali contra Castitatem; quem mente, & corpore Virginem perpetuò fuisse, ex ipso Guillelmo videbimus art. sequenti.

8 Nihil impudicum ex parte S. Bernardi fuisse, à seculo duodecimo, (in cujus medio ad Cœlos transit) fuit in Ecclesia communis sententia, usque ad præsentis seculi annum 1739, in quo prodiit seorsà Eeditio Vitæ Sancti Doctoris, cum commentario prævio R. P. Pinii. Et ita proculdubio sensit V. Card. Belarminus, ut constabit ex dicendis art. sequenti, circa Virginitatem S. Bernardi; & D. Thomas, ut patebit in elogio ad calcem Opusculi.

S. II.

RESOLVITUR DUBIUM.

PRIMA CONCLUSIO.

Si in narratione enuntiatur aliquid impudicum inficiens S. Bernardum, debet reputari ut falsa.

9 **P**ROBATUR. Ut certò falsum, reputari debet adolescentem perpetuo virginem, qui leviozem, & eurosiorem aspectum feminae, in se castigavit, insiliendo in stagnum gelidarum aquarum, collotenus, quousque pene factus est exanguis; aliquo graviter impudico fuisse infectum: sed hujusmodi fuit adolescens Bernardus, ut vidimus cap. 1. Prælud. 1. num. 6. & art. sequenti constabit: ergo &c.

10 2. Immunitas S. Bernardi à peccato in hoc factò tantum potest salvari per recursum ad Dona Spiritus Sancti; sed absurdum esset dicere, instinctu Spiritus Sancti egisse Bernardum factum, in quo infectus esset aliqua impudicitia,

quia ut dicitur Jacob. 3. v. 17. *Qua de sursum est sapientia, primum quidem pudica est.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Nihil impudicum fuit in tali factò inficiens D. Bernardum.

11 **P**ROBATUR, recensendo singula, quæ in illo factò intercesserunt. Et primò quidem in eo, quod S. Bernardus expergefactus senserit puellam injectam suo lecto, nihil impudicum, ipsum inficiens, potuit esse; cum fuerit operatio necessaria. Manere etiam in eodem lecto cum femina, ex sua specie non est quid impudicum, alioquin Deus miraculo non confirmasset innocentiam, & bonam fidem, qua Simplicius, vir pius, postea Episcopus, (ut refert S. Gregorius Turonensis lib. de *Gloria Confessorum* cap. 76.) nubens cum quadam virgine, & in eodem lecto cum ea jacens, hanc praxim continuavit, castè semper vivens, etiam post Episcopatum. Scandalizato autem populo de hoc, illa virgo in Capsula carbones incensos reponens, & ad Ecclesiam vadens die, in qua præfatus Episcopus ibi erat; præfatos carbones in suum linteum ejecit, illosque, postquam diu absque linteï læsione retinuit, ad Episcopum detulit, & in ejus linteum ejecit, etiam sine ejus læsione. Quo miraculo cessavit scandalum, & multi infideles ad fidem conversi sunt.

12 Nec in illis palpis, & stimulationibus puellæ, ex parte S. Bernardi aliquid fuit impudicum. Dormiebat namque tunc, & omnibus actibus sensuum externorum erat privatus: undè tangebatur quidem impudice à puella, sed ipse illam

illam nullo modo vitaliter tangebatur: Corpusque Bernardi eodem modo se habebat ad illam, ac si lignum esset, aut statua lapidea. Et in hoc splenduit mirabilis providentia Dei erga suum servum, quem ad tot heroica pro sua Ecclesia præparabat; ut immitteret ipsi somnum, non absque grandi miraculo. Qualiter namque per naturam fieri posset, ut adolescens vitio phisico insensibilitatis non laborans (ut patuit in illo curiosiori aspectu feminae) sentiens juxta se in lecto puellam nudam, dormiret illico, ac in latus alterum se convertit? Non ergo potuit prævenire eventum somni, nec puellæ palpas.

13 Probatur etiam efficaciter ex qualitate narrantis: V. scilicet Guillelmi, cujus magnam in Theologia sapientiam vidimus cap. 1. Præhud. 2. Scripsit namque Vitam S. Bernardi, ut præmisit in præfatione, ad gloriam, & honorem Dei in suo Servo Bernardo: nihil ergo narravit, quod impudicitiae labe ipsum inficeret. Quin, ut ex professo postea videbimus in particulari articulo, in hoc factò Dona Spiritus Sancti intercessisse judicavit, & in hoc sensu illud narravit.

§. III.

OCURRITUR OBJECTIONIBUS.

14 **O**bjicies D. Cyprianum lib. 1. Epist. 11. ad Pomponium (apud D. Thom. 2. 2. quest. 154. art. 4. in 2. sed contra) dicentem: *Ipsa conjacentia duorum turpis, & facta dormitio, quantum dedecoris, & criminis consistit?* Respondetur, S. Cyprianum merito hæc dixisse contra illas, quæ, ut præmisserat, fatebantur regulariter cum viris dormire, & tamen integras esse, quod

vitium illis temporibus in Africa frequens fuisse, etiam in Clericis patet ex insigni libro scripto de *singularitate Clericorum*, inter opera D. Cypriani. Reprehendit ergo S. Cyprianus illum pravum morem: sed non asserit, ex sua specie, & in casu irregulari, qualis est ille, de quo est disputatio, esse quid impudicum.

15 Deinde objicitur argumentum, quo utitur Leodiensis n. 79. sumptum ex Decreto S. Officii Inquisitionis, quo julsit, ex vita S. Mennæ Martyris, quæ extabat apud Surium tom. 6. ad diem 11. Novembris (jam in nova editione sublata est illa vita, & suffecta est alia) aboleri narrationem sequentem. Cuidam Claudio apparuit S. Martyr, illique suggestit, ut ingrederetur lectum cujusdam feminae, similiter claudæ, ut sanitatem acciperet. Cumque ille timeret hoc facere, ne peccaret; rursus S. Martyr ipsi apparuit, monens, & adhortans, ut in lectum claudæ ingrederetur. Cumque hoc exequeretur, claudus, & clauda sanitatem miraculose adepti sunt. Quod comparans Leodiensis cum factò S. Bernardi, multis nititur ostendere, factum S. Bernardi, prout refertur à Guillelmo, multò difficilius esse, & magis impudicitiam Bernardi ostendere.

16 Respondetur abolitionem illius pseudomiraculi merito extare in Expurgatorio anni 1640. Ibi namque illico apparet superstitio suggesta, non à S. Menna, sed à Dæmone: qui subtilitate suæ naturæ perspicuus ex quibus causis naturalibus provenerit claudicatio; novit etiam, quod, sicut in Ægipto effecit aliqua mirabilia, similia his, quæ Moyse fecit; ita, vel applicando activa passivis, vel impediencia motum

tum

tum removendo, & partes suis aptis locis, ut poterat, collocando; ambo simul motum rectum consequerentur, absque miraculo; licet hoc miraculosè factum videretur. Sicut de Anti-Christo dicit Apost. 2. Thesal. 2. v. 9. ejus adventum futurum *secundum operationem satanae in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*. Unde merito Officium S. Inquisition. iussit tale pseudomiraculum abradi. Sed in facto narrato à V. Guillelmo nulla superfluitio est. Mansit quidem Bernar-

duus in eodem lecto cum puella: sed illam non tangens, actus à Spiritu Sancto per instinctum respondentem Donis, ut in sequentibus ostendetur. Attamen claudus semel, & iterum audivit admonentem ad ingressum in lectum claudæ: & postquam sic audivit; ex desiderio sanitatis, proprio consilio, & iudicio, motus fuit ad ingressum. In facto autem S. Bernardi Deus instinctu respondente Donis egit, ut sic maneret tantum conversus in alterum latus, & illicò dormiens.

ARTICULUS II.

UTRUM D. BERNARDUS FUERIT VIRGO mente, & corpore?

PROponitur hæc quæstio ad complementum præcedentis. Ratio autem dubitandi summitur ex quodam Sermone, qui in antiquis Editionibus erat secundus, in Editione autem Horstii est 146. de *Diversis*. Ubi de *Virginitatis, & humilitatis connexione* disserens, & ad Beatissimam Virginem Sermonem dirigens: *Et mihi obsecro (ait) ut benedicas. Perit virtus illa (Virginitas, ut antea præmiserat) à me: non est jam vel aspirare ad illam. Computruvi in stercore meo, & ut jumentum factus sum.* Quæ verba inspiciens V. Card. Bellarminus, de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, occasione discernendi genuina opera S. Bernardi à supposititiis, fol. 186, observ. 1, de præfato Sermone, sic inquit: *Fortasse non est S. Bernardi; cum auctor ejus dicat, se carere Virginitate; & ex 1. libro cap. 3. Vite S. Bernardi probabiliter colligatur, eum Virginem fuisse.*

In quibus obiter videas, quanta autoritate valuerit apud hunc Sapientissimum Virum V. Guillelmus, auctor illius libri, & capitis, ex quo infert Virginitatem Bernardi.

2 Sed non præcisè probabiliter, sed satis aperte invenitur asserta Virginitas perpetua D. Bernardi à V. Guillelmo in eodem 1. libro, apud Horstium cap. 4. num. 21., ubi sic habetur: *Natura quoque in eo non dissentiebat à gratia, ut in eo quoque videatur impletum esse quod legitur Sap. 8. à v. 19: Sortitus sum animam bonam: & cum magis essem bonus, veni in corpus incoinquinatum. Sortitusque etiam in hoc erat animam bonam, non curiose lascivam :: corpus etiam nullius unquam contaminatum consensu flagitii.* Hæc Guillelmus, cui S. Bernardus sui animi secretiora communicavit, ut jam vidimus. Quibus consonant quæ tradit cap. 3. dum ait ex Itagno gelidarum aqua.

aquarum exiisse, induens (inquit num. 6.) illum castitatis affectum, quem induerat, qui dicebat, Job 32. pepigi fadus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Unde D. Thom. in Sermone de S. Bernardo ipsi virginitatem perpetuam tribuit, ut videbimus ad calcem hujus Opusculi.

3. Rationi dubitandi plenè satisfacit Horstius tomo 2. in Annotationibus fusiis in opera D. Bernardi, ad Sermonem 46. de Diversis ubi: „Quid (inquit) vetat „utrumque, Sermonem, & Virginitatem Bernardo asserere, verbis his nequidquam obtantibus? neque enim inulitatum Sanctis, & Prædicatoribus Verbi Divini; subindè loqui ex persona auditorum, & in se ipsos quasi deriva-

„re, ac transferre peccatum, quod „castigare statuerunt. Tales corripiendi, & eloquendi formulas non raro apud Hieronymum, itemque Bernardum nostrum reperies; nempe didicerunt ab Apost. omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifiant :: Itaque, ut ad Bernardum revertar, dico, eum ex persona auditorum loqui, velut inquirentem, quid illis restet aptè Virginem Deiparam, quibus non licet cum ipsa de salva Virginitate gloriari. Porro in tanto Religiosorum numero, quis dubitet fuisse, qui post factum Virginitatis pridem in seculo naufragium, tabulam penitentiae in Monasterio apprehenderint; ut Beatissimam Virginem imitari per humilitatem possint?

ARTICULUS III.

AN V. GUILLELMUS IN HOC CASU PUELLÆ
recurrerit ad instinctum Spiritus Sancti correspondentem Donis Consilii, & Timoris?

§. I.

NOTABILIA PRO RESOLUTIONE.

1. **H**IC casus est unus ex illis, de quibus V. Guillelmus in præfatione dixit, gesta Sancti Doctoris assumpsisse scribenda, magis ut in unum congerenda ordine, quo acciderunt, quam ut accuratius digerenda, hoc relinquens scribenti post felicem transitum Sancti Doctoris. Unde opus erit pro hujus narrationis expositione, non quidem aliquid comminisci, quod ex textu Guillelmi non inferatur, sed

ex antea, vel postea ab ipso dictis aliqua asserre pro aliorum intelligentia.

2. Igitur, Notandum in Præudio primo cap. 1. n. 6. & 7, tres casus narrari, ad virtutem castitatis spectantes. 1. Curiosorem aspectum feminae, ex quo tanta concupiscentia insurrexit, ut ad illam compefcendam insilierit in itagnum gelidarum aquarum. 2. Casus de puella, & somnus, quo correptus fuit, & illa aufugit. In cujus casus narratione, nec gratiae Dei fit mentio, nec connexionis hujus casus cum præceden-

dent. 3. Narratur sollicitatio Hofpitæ, & modus, quo Bernardus illam expulit, nec Consilii inops (inquit Guillelmus) clamare capit, *latrones, latrones.*

3. Deinde notandum Guillelmum, dum scribebat casum puella, non fuisse oblitum mirabilium, quæ Deus operatus fuerat in Bernardi infantia, & pueritia, quæ ipse narrauerat cap. 1. & 2.: adeo mirabilia, ut Pinius in Commentario prævio §. 3. num. 26. prudentissime dixerit, ex illis *confici favores celestes meritis, merita autem favoribus in Bernardo respondisse ab ipsa ejus puerili ætate.*

§. II.

Guillelmus Victoriam Bernardi tribuit Donis Spiritus Sancti.

4. **H**Uic conclusioni neminem inveni expresse contrarium. Nam Leodienfis agens de factis, quæ Guillelmus tribuit D. Bernardo, in neutra questione meminit Donorum Spiritus Sancti, & semper procedit ex præoccupato iudicio, quod Bernardus processerit in hoc casu ex proprio consilio, & iudicio. Quo præiudicio etiam processit Pinius, dum in seorsâ Editione difficultates exaggeravit. Sed tandem in fluxum Spiritus Sancti per Dona fati innuit, dum dixit, quod si ita accidit, est unum ex multis, quæ leguntur in Vitis Sanctorum, miranda, & non imitanda, quæ fuerunt ex instinctu, & Donis.

5. Probatur Conclusio. 1. Ratione generali desumpta ex qualitate Scriptoris, Sapientissimi Theologi. Nam cum ultro pateat, factum Bernardi in hoc casu fore peccatum mortale, ex ingenti temeritate manendi in proximo, ac præsentissi-

mo periculo peccandi mortaliter, si ita Bernardus ex Consilio & Iudicio proprio egisset: licitè autem, & valde meritorie potuisset sic agere, si ad sic agendum fuit motus à Deo per instinctum respondentem Dono Consilii, ut in Præudio vidimus ex Doctrinis D. Thom. & Sapientissimi Suarez; quis dicat, Sapientissimum Theologum Guillelmum narrantem hunc casum in gloriam Dei in suo Servo, ad Dona Spiritus Sancti non recurrisse?

6. 2. Probatur ex insultu in stagnum gelidarum aquarum. Nam Bernardum hoc egisse ex instinctu respondente Donis Spiritus Sancti, fortiori, vel saltem æquali ratione fundatur illa, qua V. P. Ludovicus de la Puente in opere inscripto, *Guia Espiritual*, tract. 1. cap. 23. §. 5. apud Leodiensem quæst. 1. num. 69, asserit ex Dono Spiritus Sancti fuisse volutationem D. Benedicti, corpore nudo inter urticas, & spinas, quam refert D. Gregorius lib. 2. Dialog. in ejus Vita, asserens hoc egisse auxilio *Gratia cooperantis*: qua phrasi utitur etiam V. Guillelmus in narratione illius casus stagni. Sanctus Benedictus siquidem illa volutatione gravissime læsus fuit; sed forsân non ad mortem. Sed Bernardus manens in stagno penè exanguis effectus fuit. Ergo Deus adeo largiter remunerans obsequia suorum servorum, sicut in præmium illius egregii facinoris dedit D. Benedicto Donum castitatis adeo excellens, ut ex illo tempore (inquit D. Gregorius eodem cap. 2.) sicut post discipulis ipse perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid in se minime sentiret; ita in præmium præfati obsequii dedit Bernardo per Dona Spiritus Sancti, ut inter

inter flammam lividinofis ardoris, quas
 Deemon, media puella, incendebat,
 perseveraret prorsus illæsus.

7. 3. Probatur ex stylo, quo
 Guillelmus utitur in casu, quo fa-
 gavit hospitam, dum dicit: *Nec con-
 sili inops clamare capit.* Per quæ uti-
 que significat, in illa gravissima
 tentatione vicisse, adjutum quidem
 speciali gratia Dei, sed non per
 intuitum Spiritus Sancti, respon-
 dentem Donis, sicut vicerat in casu
 puellæ: sed juxta leges communes
 ex Consilio, ac Judicio proprio per
 illos clamores, *larrones, larrones,*
 quibus illam ter fugavit.

§. III.

Ex somno Bernardi probatio.

8. **R**EM denique planè conficit
 dormitio illa, quam in
 narratione hujus casus refert Guillel-
 mus. Ejus meminit Leodiensis num.
 26. occasione impugnandi scriptum
 contra Pinium, ex hoc somno, tam-
 quam miraculoso: asserens esse quid
 confictum à Doctore illius scripti.
 Ab ipso autem Leodiensi inquiror;
 an neget, Bernardum verè dor-
 misse, illico ac in alterum latus se
 convertit, (ut refert Guillelmus);
 assentiendo Caramieli, qui nullo
 eum fundamento in aliqua veridica
 Historia, & difficultates argens,
 dixit simulasse somnum? Quod for-
 san Leodiensi magis placuit ad suas
 assertiones in illa, 1. quæst. statuen-
 das: unde num. 25. laudavit Ca-
 ramuelem dicentem Bernardum si-
 mulasse somnum. Verum hoc non
 erit impugnare narrationem Guil-
 lelmi, sed quam ex Caramuele ipse
 accepit. Vel agnovit verum somnum;
 & tantum negat, fuisse quid miracu-
 losum?

9. Si hoc secundum; hic som-
 nus, miraculosus fuit, & immixtus
 à Deo ex speciali providentia, tum
 ut palpas puellæ non sentiret, nec
 illam impudicè tangeret, ut dixi-
 mus art. 1. tum ut prius puella au-
 fugeret, quam Bernardus iterum
 agnosceret in eodem lecto accu-
 bantem, tum ne domesticis do-
 mus Paternæ cum detrimento famæ
 ejus, & honoris domus Paternæ
 innotesceret petulantia illius feminae,
 si Bernardus vigilans, & juxta re-
 gulas communes operans, vel cla-
 maret, vel violenter illam è lecto
 expelleret, aut è lecto surgens ad
 alium locum illius domus transfiret;
 in his namque casibus difficile fo-
 ret, ausum procacem puellæ alios
 domesticos latere. Aliter ergo pro-
 vidit piissimus Deus somno.

10. Quem fuisse miraculosum,
 facilè probatur. Nam per naturam
 fieri non potuit, ut adolescens in
 tam lubrica ætate sentiens puellam
 intempesta nocte suo lecto injectam,
 & ad turpia illum excitantem, cum
 omni pace, & silentio in alterum la-
 tus se converteret, & illic dormi-
 ret. Sanè S. Basilius Magnus, so-
 lertissimus naturæ rerum investigator,
 ut patet in Hexameron; in
Constitutionibus Monasticis, cap. 4,
 adhuc de colloctionibus cum fa-
 minis, inter alia sic ait: *Quod si quis
 dicat, se cum mulieribus colloquio,
 congressuque, & convivio non admo-
 dum ledi, hic sine dubio aut maris na-
 turæ particeps non est, & porrentum
 est quoddam insolentissimum, & præ-
 ter omnium opinionem admirabile, &
 in utriusque sexus (ut ita dicam) con-
 siliis positum.* Sic sentit ille Sapien-
 tissimus Doctor de familiariter con-
 vivente, & frequenter colloquente
 cum muliere. Quid igitur sentiret

de intempesta nocte accubante cum puella nuda provocante adolescentem, vitio Phisico insensibilitatis non laborantem? Procul dubio judicaret, per naturam impossibile esse, adolescentem non peccare; imo & per naturam impossibile esse, ut dormiret illico, ac in latus alterum se convertit. Eadem efficacitate procederet discursus ex Doctrina Melliflui Doctoris Bernardi, Serm. 65. in Cantica, ubi num. 4. ita ait: *Cum femina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est non potest, & quod majus est, vis credam tibi?*

11 Illa ergo dormitio Bernardi in illis circuitantiis, in quibus spiritus deservientes generationi naturaliter commoventur, titillantes, ac blandiendo quidem, sed quasi violenter pellicentes ad consummandam illam voluptatem sensus tactus, quæ inter sensibiles major est: ad quam proinde franandam præcipuè tendit virtus temperantiæ, ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 141. illa, inquam, dormitio non potuit naturaliter accidere, sed miraculosa fuit. Quo miraculo, narrato à V. Guillelmo, validissime confirmatur, ipsum judicasse ex instinctu respondente Donis Consilii, & Timoris, processisse quæcumque Bernardus gessit, illico ac sensu puellam injectam suo lecto: non aliter ac ex miraculosa castitate donata S. Benedicto, certo cognoscimus, illam volutionem sui corporis nudi inter spinas, & urticas ex instinc-

tu Dei fuisse: & ex extractione S. Martiniani è mari in terram per Delphinos, fuisse ex instinctu Dei, quod se in mare projecit, ut vitaret periculum castitatis: ut asserit V. Puente loco laudato apud Leodiensem num. 69.

12 Non me latet, Deum absolute potuisse permittere Dæmoni, ut etiam in illis circumstantiis, naturaliter pellentibus somnum, Bernardo somnum immitteret, sicut ipsi permisit induere personam S. Martyris Mennæ, ut claudum illuderet. Verum in hoc Bernardi facto, nullum Dæmonis intercessisse influxum, sed omnia processisse à Deo providente suo fideli servo, & remunerante obsequium ipsi exhibitum in casu stagni gelidarum aquarum, in quod insiliit ad compescendam libidinosam concupiscentiam, ipsa rei series planè convincit. Nam Dæmon, qui ad auferendam à Bernardo castitatem, puellam instigaverat, ut lecto dormientis nuda injiceretur; potius vellet Bernardum vigilare, ut ita puellæ stimulos, & palpas perciperet, & hæc permittens, ipsam etiam impudice tangeret, in hoc ipso mortaliter peccans contra castitatem, etiam si ad alia non progrediretur. Hic igitur somnus miraculosus fuit, immisissus à Deo, ut ex hac divina providentia in tam ingenti periculo animos sumeret ad tot ardua, & egregia, pro Ecclesia exanlanda, fretus semper omnipotentis auxilio.

ARTICULUS IV.

UTRUM FACTUM BERNARDI, PROUT REFER-
tur à Guillelmo, sit practice possibile, citra peccatum,
in lege gratiæ, per Dona Spiritus Sancti?

§. I.

EXPLICATUR TITULUS.

Supponit titulus hujus articuli tamquam certissimum, factum Bernardi fore lethaliter peccaminosum, si in illo processisset ex proprio Consilio & Judicio: quia temere perseverasset in proximo, & presentissimo periculo peccandi lethaliter. Supponit etiam juxta itatuta a. r., non fuisse locum Donus Spirit. S. si in illo facto fuit aliquid impudicum. Supponit item, Guillelmum sincerè narrasse hoc factum, prout reverà accidit, nihil narrando à se non plene exploratum per testes fide dignos.

2 Sub his suppositionibus procedit præsens quæstio: In qua Pinus parti affirmativæ adhæret, & efficacissime probat; sic in sua nota, postquam narrationem Guillelmi castigatione dignam asseruit, immediate subdens: *Quidquid sit, hoc exemplum, si vere ita acciderit, sicut narrat vite scriptor, est unum è multis, quæ inveniuntur in Sanctis, miranda utique, & non imitanda.* Diximus efficacissime ab eo probatam possibilitàtem practicam hujus facti per Dona Spiritus Sancti: quia tale factum reponit in numero aliorum, quæ Ecclesia celebrat, & executæ fuerunt contra regulas com-

munes ex instinctu respondente Donis Spiritus Sancti. Pro eadem sententia proculdubio fuerunt omnes DD. antiqui usque ad annum 1739: sicut V. Bellarminus loco relato art. 2., ubi expresse ipsum factum approbat, ut licitum: multò igitur magis ejus practicam possibilitàtem. Leodientis de hac quæstione, prout proposita est in titulo, non disputat; quia nec Donorum Spiritus Sancti, quantum ad hoc factum in sua quæstione Scholastica meminit. Ipse quidem dicit, esse practice impossibile. Sed quia ex præoccupatione judicii sensit, Guillelmum locutum fuisse de Bernardo, ut procedente ad hoc factum ex proprio Consilio & Judicio; sanè nec ipse, nec alius vere Theologus attendens ad tradita in Præludio de *Dono Consilii*, refragabitur sententiæ affirmativæ. Hæc igitur sit nostra Conclusio.

§. II.

Factum D. Bernardi per Dona est
practice possibile.

3 PROBATUR ex doctrina D. Th. 1. part. quæst. 25. art. 3, & 5. Illud est practice possibile, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ, ad cujus positionem ex Dei providentia adsunt causæ, talem effectum præcontinentes; sed ex Dei providentia in Justis sunt Dona, seu

seu habitus supernaturales, dantes homini facultatem operandi etiam contra leges communes, ex intuitu Spiritus Sancti, respective respondente ipsis Donis, quoties per fidem, & prudentiam, etiam infusam, non possunt dirigi, ut recte agant, & peccatum vitent; & de facto sic diriguntur, si ipsi impedimentum non apponant, ut patet ex dictis in Præluo de *Donis*: ergo cum omnes supponant tamquam certum, adolescentem Bernardum actu Justum fuisse, cum processit ad hoc factum; certo asserendum est, ipsi practicè fuisse possibile per Dona.

4 Major est communis doctrina cum D. Thoma loco laudato; ubi duplex possibile, aut impossibile distinguit. Aliud relate ad causas; & prout sic possibile dicitur absolute illud, ad cujus positionem adsunt defacto causæ creatæ illum effectum præcontinentes. Undè avem volare dicitur, & est absolute possibile, quia actu habet instrumenta ad volandum, scilicet, alas. Dicitur autem, & est absolute impossibile illud, ad cujus positionem non sunt actu causæ creatæ illum effectum præcontinentes: undè absolute dicitur impossibile, hominem volare, quia caret alis. Aliud est possibile ex vi terminorum, & est, quando prædicatum non repugnat subjecto, ut in hac propositione: *homo sedet*: impossibile autem, quando prædicatum repugnat subjecto, ut in hac, *homo est asinus*.

5 Quæ obiter notentur pro genuina intelligentia mentis D. Th. Nam aliquando S. D. dicit aliquid impossibile, non quia sit tale ex vi terminorum, aut quia nec de potentia absoluta possit fieri: sed quia

defacto non adsunt causæ creatæ illum effectum præcontinentes. Undè quando vult dicere, aliquid esse impossibile ex vi terminorum, ita ut nec de potentia absoluta possit fieri, solet dicere, *non posse intelligi*, sicut 1. 2. quæst. 113. art. 2. dicit: *Non posset intelligi remissio culpe; si non adesset infusio gratia*. Et ratio est, quia objectum terminativum intellectus est ens: undè illud factum nequit intelligi, quod contradictionem claudit, seu esse, & simul non esse.

6 Minor autem non est minus certa apud Theologos: nam (quidquid sit, an Dona sint habitus realiter distincti à virtutibus) certissimum est apud Theologos, omnes Justos habere Dona Spiritus Sancti, & habitualiter esse dispositos, ut moveantur ab Spiritu Sancto, (si se non impediunt) ut agant id, quod hic & nunc debent agere, ne cadant à gratia sanctificante. Undè à D. Thoma 1. 2. quæst. 68. art. 4. ponuntur tamquam necessaria ad salutem: & Regius Paltes fidenter dicebat Psalm. 142. v. 11. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, id est, in Patriam Cælestem.

Leodiensis hæc cognoscere potuit.

7 E Quidem Pinium, arduo muneris continuandi Opus Bollandianum in acta 88. additum, ad hæc non attendisse, dum perfecte completam vidit seorsam Editionem Riso. Abbati Claravallensi nuncupatum; mirum non est; cum sit verosimile, & credibile sit, hanc secundam Editionem alteri non tanta eruditione polenti commendasse; & facillimum fuerit, ipsum, veluti

veluti in globo casuum à Guillelmo narratorum meminisse, oblitum tamen eorum, quibus Guillelmus suas narrationes munivit, & ad quæ ipse attenderat in prima Editione. Hoc, inquam, mirum non est: Nam ut, ad elirvinandam pessimam jurandi consuetudinem, admonet S. P. Augustinus, Serm. 28. cap. 2. tom. 1. in Edit. Lovan. *Quis est autem, qui non fallatur, & si noluit fallere? Quis est homo, cui non surrepit fallacia?* Sed Leodiensis in ipsa annotatione Pinii viderat possibilitatem practicam illius facti per Dona Spiritus Sancti, dum dixit, fore unum è multis, quæ inveniuntur in vitis SS. si ita acciderit, ut narrat Guillelmus. Ipse etiam ex V. Puente refert facta S. Benedicti, & S. Martiniani; & ex S. August. lib. 1. Civin. cap.

26. exhibet modum, quem observare debent acti instinctu, respondente Donis Spiritus Sancti. Licet ergo Donorum Spiritus Sancti non meminerit, dum factum D. Bernardi, ut refertur à Guillelmo, asserit impossibile, incredibile, & erroribus Molinistis affine; non latuit ipsum possibilitas ejus practica per Dona Spiritus Sancti. Unde ex Doctrina D. Bernard. *De dispens. & præcept.*, asseruit n. 84, in his liberum fuisse ad damnandum, vel excusandum tale factum. Cur ergo non est imitatus Pinium? Cur non abstinuit à tam acerba impugnatione illius facti, ut narratur à Guillelmo? maxime cum illum exusaturus esset s. VI, etiam si ad hoc opus esset, exhibere num. 107. innocentissimum virginem Bernardum, castitatis graviter læsæ reum.

ARTICULUS V.

UTRUM FACTUM BERNARDI, PROUT REFER-
tur à Guillelmo sit prudenter absque
hesitatione credibile?

§. I.

Sensus tituli, & sententia.

NON omne, quod est practice possibile, fuit defacto positum in re: nec quidquid in re fuit defacto positum, semper fuit prudenter credibile, maxime si ejus prima existentia nullum reliquerit sui velligium, nec adsint gravia motiva probantia, & excludentia difficultates, si quæ occurrant, circa ejus credibilitatem.

2 Sanè hoc factum esse pru-

denter credibile, sensit antiquitas usque ad annum 1739. Ita sentit V. Bellarminus, ut vidimus art. 2: & ipse R. P. Pinus, dum vitam D. Bernardi, ut jacet in lib. 1. scripta à V. Guillelmo, inseruit operi Bollandino *in acta* SS. ad diem 20. Augusti. Sed, ut diximus in præfatione, relegens, seu potius, tempore evulgationis, veluti in globo considerans totam præfatam vitam seorsum accusam in gratiam Rmi. Abbatis Claravallensis apprehendit in narratione hujus facti difficultates, quæ

quæ in prima Editione ipsi non occurrerant; apprehendens tunc Bernardum in illa narratione induci à Guillelmo, non operantem ex instinctu, respondente Donis Spiritus Sancti, sed ex proprio Consilio & Judicio: qua apprehensione supposita, consequens fuit, proponi ab ipso hoc factum ut non prudenter credibile.

3 Citra injuriam autem, de quocumque etiam prudentissimo, & peritissimo dicitur, oblitum eorum, quæ prius probe noverat, aliquid falso apprehendisse, & ex hujus falsæ apprehensionis præoccupatione aliquid falsum judicasse, & enuntiassè, ut de Pinio (à nobis habito, ut prudentissimo, & peritissimo) in Præfatione diximus. Undè quia tunc, etiam apprehendit, potuisse hoc accidere ex instinctu respondente Donis, continuo subdit: *Si vere ita acciderit, est unum è multis, quæ inveniuntur in Sanctis.*

4 Apprehensionem veritati oppositam secutus est Leodienis, consequenter asserens, nedum hoc factum, prout refertur à Guillelmo, esse prorsus incredibile, sed omnino impossibile, & affine erroribus damnatis in Michaelè Molinos, & novissimorum transubstantiatorum, subtilitate sui ingenii, & dicendi felicitate exponens quæcumque pro veritate illius facti ex monumentis Ecclesiasticis possunt adduci. Sed nos, qui art. 3. ostendimus, Bernardum in narratione Guillelmi, ad merem ejus induci in hoc facto operantem ex instinctu Spiritus Sancti, respondente Donis Consilii, & Timoris Domini, aliter sentimus. Sit ergo Conclusio nostra,

s. II.

Factum, prout refertur à Guillelmo, est prudenter absque hesitatione credibile.

5 **P**ROBATUR. Illud est prudenter credibile, quod narratur à viro, de quo certi sumus, fuisse vere sapientem circa materiam narratam, & talem, ut circa factum narratum moraliter non posset falli: & ex alia parte tali vitæ integritate præditum, ut nullo modo vellet in materia gravissima fallere: nec in tali materia aliquid narrare, quod si non vidit, non acceperit à fide dignis; sed V. Guillelmus hoc factum narrans est hujusmodi, ut vidimus cap. 1. Prælod. 2: Et ipse in præfatione sui primi libri asserit, se nihil narraturum, quod vel ipse non viderit, vel à fide dignis acceperit: ergo hoc factum est prudenter credibile.

6 Probari etiam posset ex simili mirabili facto, quod de Xenocrate Philosopho Platónico discipulo Platonis, & in Scholæ administratione ejus successore, ac Aristotelis, novæ Scholæ Erectoris, condiscipulo, refert Valerius Maximus inter exempla eximie continentie, & ex Diogene Laërtio de *Vita & Moribus*, Philosophorum, & Suida extat in Dictionario linguæ latinæ per Passeratium locupletato *Verb. Xenocrates*. Hic Philosophus severissimus semper extitit, & adversus omnem voluptatum titillationem prorsus invictus. Cujus virtutis abundè illi præstat testimonium; quod Phrinen pulcherrimam tunc Athenis meretricem, à discipulis in ejus lectum submissam, ipsumque sollicitantem ad concubitum, juxta pactum à meretrice cum

dis-

discipulis inquit, profus intactam dimisit.

7 Non me latet, hoc in Philosopho Ethnico accidere potuisse, non ex virtute, sed ex superbia, & amore laudis humanæ: quo vitio Philosophos Platonicos laborasse Præx. P. Augustin. asserit lib. 5. de Civit. cap. 20. Unde contra illos format tabellam, in qua superbia, tamquam Regina sedet, imperans omnibus virtutibus Cardinalibus, ut cuncta sic agant, ut in omnibus fulgeat exaltatio hominis operantis. Quam S. P. contraponit tabellæ formatæ à Platonicis ad irrisionem Epicureorum, cujus Cicero meminit in 2. de finibus: in qua delitia, tamquam Regina sedebat, imperans prudentiæ, ut excogitaret, quæ magis delicias foverent: justitiæ, ut nulli noceret, ne delitiam perturbaret qui nocumentum percepit, & similiter fortitudini: temperantiæ autem, ut delicatis quidem, & sapidis vescatur, sed non in nimia quantitate, ne stomachus cibus oneratus molestam noctem causet, aut aliquo modo delitiam impediatur.

8 In quibus S. P. asserit quidem, Philosophos Ethnicos plerumque ex superbia operatos fuisse: verum minime asserit, omnes eorum operationes ita tali vitio fuisse pollutas, ut aliquando ex vera virtute ordinis naturæ non processerint. Quod patet, quia Ecclesia S. P. semper veneratur ut suum præcipuum Doctorem: & tamen S. Pius V. & Gregorius XIII. in Constitutione, quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus*, damnat in Bajo plures propositiones, & inter illas 26: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia: Et 35. Omne quod agit peccator, vel servus*

peccati, peccatum est: Et 39: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Et Alexander VIII. in Decreto expedito 7. Decemb. 1690. contra Bajanos, & Jansenistas, damnavit illam propositionem 8: *Necessè est, infidelem in omni opere peccare: Et illam 11: Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Ubi notetur, Michaelæm Bajum, & Cornelium Jansenium, Ipremsen Episcopum, licet erraverint, non fuisse hæreticos, quia humiliter subjecerunt omnia sua scripta censuræ S. Ecclesiæ Romanæ; hæretici autem sunt, qui errores in illis damnatos tenent. Et Clemens XI. in Const. *Unigenitus*, in scriptis Paschalis Quenellii plures propositiones damnat, accinentes præfatis damnatis, qualis est illa 57: *Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

9 Speciatim autem, quantum ad Xenocratem, S. P. non negasse illum actum heroicam temperantiæ processisse ex virtute temperantiæ ordinis naturæ, & illum sic operasse, Deo in ejus animo hoc operante, satis probabiliter inferitur ex his, quæ idem S. P. Epist. 130. in Edit. Lovan. ad *Cirtenses* (Civitas est Africa dicta nunc *Constantina* in Regno de Tunez) ubi de Xenocrate dicit, Polemonem sua disputatione ad bonam frugem convertisse. Polemonem (inquit) *de fruge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, verum etiam tunc ebrium ad mores alios repente convertit.* Quamquam ergo ille, ut prudenter, & veraciter, intellexistis, non Deo fuerit acquisitus, sed tantum à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est,

humano operi tribuerim, sed divino. Hæc S. P. August. Quidni ergo idem dicamus de illo actu egregio temperantia, executo à Xenocrate erga illam meretricem: quæ cum illuderetur, quasi victa ab illo Philosopho, respondit, se pepigisse victuram hominem, non lignum, aut lapidem.

10 His accinit D. Thom. 1. 2. *quest.* 68. *art.* 1, ubi effectus Donorum Spiritus Sancti, prout distinguuntur à virtutibus, explicat doctrina Aristotelis lib. 7. *Mor. Eudemiorum* cap. 18. de *bona fortuna*, ubi apud S. D. ita ait. *His, qui moventur per instinctum divinum, non expedit consilium secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia moventur à meliori principio, quam sit ratio humana. Et hoc est* (prosequitur S. Doctor) *quod quidam dicunt, quod Dona perficiunt homines ad altiores actus, quam sint actus virtutum.* In solutione autem ad 1. profert alia ex eodem Philosopho in 7. *Ethicorum* ad Nicomacum cap. 1.: Ubi supra virtutem communem, ponit quandam heroicam, vel divinam, secundum quam (inquit) dicuntur aliqui divini viri. Hæc Aristoteles: qui forsân hæc dixit ex his, quæ expertus est in suo discipulo Xenocrate.

11 Igitur juxta SS. DD. Aug. & Thom. licet in Philosophis Ethnicis, qui fide caruerunt, nullum opus fuerit, quod eis profuerit ad æternam salutem, quia sine fide impossibile est placere Deo, ut dicitur ad Hebræos cap. 11. *v.* 6.; tamen Deus ex abundantia suæ bonitatis aliqua in eis operatus est, nedum libera à vitio superbiæ, sed heroica, in quæ ipsi ex proprio Consilio & Judicio non processerunt, sed ex

divino instinctu. Cur ergo non credemus, factum D. Bernardi, in SS. album tot retro seculis collocati, & à sua infantia tot favoribus Cælestibus illustrati, ad tot egregia pro sua Ecclesia operanda à Domino præparati, processisse ex instinctu Spiritus Sancti per Dona?

S. III.

Alia probatio ex Card. de Lugo.

12 **D**Octissimus Card. de Lugo, *de Fide*, agens disp. 20. de Censuris Theologicis, quibus Ecclesia solet notare propositiones, quæ in puncto supernaturalis ordinis, vel opponuntur fidei, vel ejus sanitatem aliquomodo labefactant, & veniens sect. 3. ad Censuram temeritatis num. 96. exempla apponens propositionis, seu assertionis temeraria: *Talis (inquit) erit, si aliquis dicat, alium Sanctum, præter Beatissimam Virginem, conceptum fuisse sine peccato originali; quamvis hæc graviolem censuram fortasse mereatur: vel eandem Beatissimam Virginem non esse assumptam in corpore & animam in Cælum: vel etiam qui negat Historias pias ab Ecclesia acceptatas, communiter receptas, & propositas; v. g. quod Christus D. Thomæ Aquinati dixit: Bene scripsisti de me Thomæ. Porro Historia narrata à Guillelmo, de qua in præfenti, in materia pia est, in Ecclesia à seculo 12. communiter recepta, & in Sacro suggestu in Gloriam Dei, & honorem D. Bernardi, fidelibus prædicata: non ergo potest negari.*

13 Doctrinam hujus Sapiientissimi Theologi adduxi pro satis efficaci probatione Conclusionis. At prorsus abstinco à Censura pii Theologi Pinii, qui hanc Guillelmi narra-

tionem tamquam falsam exhibet: sicut & à censura Leodiensis. Tum quia Innocentius XI. ad calcem Decreti, quo anno 1679. prohibuit diversas propositiones in puncto Morali; stricto præcepto mandavit Theologis, ne censuras ferrent in scripta aliorum, sed Ecclesiæ deferrent, si quæ invenirent sanæ doctrinæ minus consona. Tum quia tamquam certissimum debet haberi, Pinium omni bona fide processisse, cavens, ne si alii legentes narrationem Guillelmi judicarent, Bernardum in illa induci procedentem ex Consilio, & Judicio proprio, sicut ipse bona fide judicavit, dum ad calcem seorsæ Editionis apposuit illam notam; in errorem laberentur. Leodiensis autem præcise scripsit, ut suppetias ferret Pinio à pluribus laesisset.

§. IV.

Alia probatio ad normam cap. Cum causam 13. De probationibus.

14 **Q**Uando factum non reliquit suæ primæ existentia vestigium, ut potest accidere in divisione limitum Episcopatum, Honorius III. pro legitima probatione hanc præscripsit regulam: nempe ut probatio fieret *per libros antiquos, necnon & testes, famam, & quacumque alia adminicula.* Per hæc namque judici laturo sententiam, potest reddi moraliter certa veritas in illa causa, & prudenter credibilis. Plurificantur autem probationes ex diversis capitibus in illo cap. expressis, quia, ut ait Profper Fagnanus super cap. *ne imitaris de Const.* num. 103. & 106., plures probationes imperfectæ, junctæ, sæpe faciunt perfectam probationem, quando tendunt in idem, juxta illud

effatum, quo utitur glossa super præfatum cap. V. *adminicula: Quæ non sunt singula, multa juvant.*

15 Singula igitur percurremus. 1. proponuntur *libri antiqui*: de quibus Glossa ait: *Scriptura librorum antiquorum facit fidem.* Circa factum autem, de quo præfens quæstio, nullus est antiquior liber scripto à V. Guillelmo, ubi habetur narratio hujus facti. Quanta vero autoritate gaudeat V. Guillelmus, patet ex cap. 1. Prælad. 2.

16 Secundo loco sunt *testes*: & tales ordine temporis sunt illi, quos in præfatione præfati libri exhibet Guillelmus, ut fide dignissimos pro omnibus his, quæ narraturus erat. Ordine autem dignitatis, & supremæ autoritatis sunt litteræ Apostolicæ Alexandri III, expeditæ occasione Canonizationis S. Bernardi, ab ipso celebratæ Anagninæ 18. Januar. 1164, ut Pinus ait in Comment. prævio §. 60, cum Manrico ex Ciaconio, & aliis monumentis, post viginti annos, menses quatuor, & dies viginti novem ab ejus felici transitu in Cælum. Horstius illam ponit anno 1166.

17 Scripsit autem Alexander, sub eadem data Anagninæ 15. Kal. Februarii, litteras ad Regem Franciæ, quæ incipiunt *Novit*: alias ad Ecclesiam Gallicanam, quæ incipiunt *Contigit olim*: alias ad omnes Abbates Cistercienses, quæ incipiunt *Quoties honesta*: alias Gerardo Abbati, & Monachis Claravallensibus, quæ incipiunt: *Sicut de Religione.* Omnesque extant tom. 1. Horstii in introductione. In illis porrò ad Ecclesiam Gallicanam sic inquit: *Reduximus ad memoriam nostram B. Viri Sanctam, ac Venerabilem vitam: qualiter ipse singularis gratia praro-*

gativa suffultus, non solum in se ipso Sanctitate, ac Religione præfulserit, sed etiam in universa Ecclesia Dei, fidei, & doctrina lumine radiarit.

18 Leodiensis num. 81. negat, Alexand. III. per vitam, quam reduxit in memoriam, intellexisse illam, quam scripsere Guillelmus, Ernaldus, & Gaufridus: sed intellexisse illam, de qua deposuerunt in illa causa plurimi testes superites post obitum B. Viri: de quorum numero erat ipse Alexander, ut ait in litteris ad Abbates Cistercienses: *Nos enim (inquit) vitam, & Sanctitatem ejusdem B. Confessoris recordatione sollicita memorantes.* Addit num. 82, quod, & si in processu facta fuisset mentio hujus facti; non tamen tamquam operis meritorii, sed tamquam ejus, quod Canonizationi non potuisset magis officere, quam vita ante acta à Sancto Augustino. Nam si fuisset positum tamquam meritum, à quo penderet Canonizatio; sequeretur, hoc factum esse ab Ecclesia infallibiliter approbatum, sicut infallibiliter est approbata inspiratio, qua S. Appollonia, & aliæ Virgines in flammis, aut flumen se projecerunt, & Samson se ipsum oppressit cum hostibus, eo quod horum finalis Sanctitas à tali inspiratione pendebat, ut ait, n. 83: addens n. 84. D. Bernardum *De dispensat. & præcept.* cap. 5. (apud Horitium 3.) sub dubio reliquisse, num postremum illud Samsonis facinus fuerit peccatum; dum de illo inquit: *Quod utique factum, si defendatur non fuisse peccatum, privatum habuisse consilium indubitanter credendum est, etsi è scriptura hoc non habeamus;* hinc inferens, liberum nobis esse, aut damnare, aut ex præsumpto Dei instinctu excusare factum contra leges communes,

quando ex scriptura non constar.

19 Ita in substantia respondet Leodiensis, cui nos reponimus r. Si possidius cum S. Augustino per tot annos commoratus, in vita ejus narraret commercium ejus cum illa, ex qua genuit à Deo datum filium, tamquam factum cedens in gloriam Dei, & honorem S. Augustini, proculdubio Ecclesia jusisset, hanc narrationem aboleri: ergo cum V. Guillelmo intima amicitia cum D. Bernardo conjunctus hoc factum narret ut cedens in gloriam, & honorem Dei in suo servo Bernardo, utpatet ex præfatione ejus; si hoc est affine erroribus, & exhibitus est in processu Canonizationis; Alex. III. jusisset abradi à vita D. Bernardi.

20 2. Cum Leodiensis num. 85. asserat, factum Samsonis juxta SS. DD. Augustinum, & Ambrosium, cum communi Interpretum, & quod magis est, ab Apost. ad Hebr. 11. Canonizari; difficillimum est, à B. Bernardo, adeo in scripturis exercitato, & SS. DD. Augustino, & Ambrosio ita adhærenti, ut Epist. 77, seu tract. de *Questionibus ab Hugone de Sancto Victore* cap. 2. num. 8, dixerit: *Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor: cum his, inquam; me aut errare, aut sapere fateor: Difficillimum, inquam, est D. Bernardum incertum esse de instinctu Samsonis. Sane in illo Opusculo D. Bernardi ad finem capitis illa verba extare in prælo datis, manifestum est. Sed facilius crederem, illa verba, ab illis: Unde & unum exemplum, usque ad finem illius capitis, esse assata: sicut in scriptis priorum Doctorum ante inventionem præli, plures reperiuntur intercalationes. Quod dixerim, aliorum hoc relinquens judicio.*

21 3. Notabilis est illa regula generalis, quam ipse elicit num. 84, ex doctrina D. Bernardi in præfata capite, nempe: Quoties legitur aliquod factum etiam à Sanctis, contra præcepta Decalogi, scriptura non indicante, factum ex præcepto, seu instinctu, liberum est nobis, vel tale factum damnare peccati, aut excusare ex præsumpto Dei instinctu. Ex qua regula ibidem infert, posse damnari peccati factum Bernardi, de quo est quæstio; quia Guillelmus non indicat, factum fuisse ex instinctu Dei. Ubi jam regulam explicat, & satis significat, ne præfata libertate abutamur, sufficere, scriptorem facti esse, qualem fuisse Guillelmum vidimus cap. 1. Præhud. 2: alioqui modo possemus damnare in S. Equitio Abbate Valeriæ collocationes frequentes, & convictum cum monialibus (à quibus suos discipulos debere abstinere docebat) quibus absque periculo ipse se ingerebat, ob speciale donum castitatis, quod, post gravissimas tentationes, à Deo impetraverat, ut narrat B. Gregorius illum per aliquot cap. laudans libro I. *Dialogorum*. Licet autem Leodiensis neget, Guillelmum instinctui Dei tribuisse factum D. Bernardi; oppositum tamen ostendimus supra toto art. 3; & sufficeret ejus præfatio in librum 1. vitæ D. Bern., ubi proponit scribere ad Dei gloriam, & honorem ea, quæ operatus est in suo mirifico servo, & adhuc sperabatur. Factam porro contra præcepta Decalogi, non procedens ex instinctu Dei, nec operatur Deus, nec cedit in gloriam, & honorem ejus. Quodsi ad hæc non attendit Leodiensis, quando negavit, Guillelmum indicasse factum Bernardi processisse ex instinctu Dei, sibi imputet.

22 4. Contra ipsum, prout negat Alexandrum III. processisse ad Canonizationem B. Bernardi ex vita ejus scripta à Guillelmo, & aliis duobus insignibus scriptoribus, quos Sap. Mabillonius valde laudat in admiratione ad vitas S. Bernard. afferens, fortasse nullum alium Sanctum sortitum fuisse æquales vitæ suæ scriptores. Contra ipsum, inquam, hoc negantem, reponimus ex SS. P. N. Benedicto XIV. in suo præclarissimo opere de *Canonizatione SS.* lib. 1. cap. 20. ubi agens de praxi antiqua Ecclesiæ in Canonizatione SS., aliqua affert exempla, ut S. Uldarici peracta à Joanne XIII, in cujus diplomate legitur sic: *Cumque perfecta esset vita predicti SS. Episcopi.* Immo de licentia saltem tacita Sedis Apostolicæ, n. 6. afferit, in Conciliis Provincialibus ex vita scripta decretum fuisse cultum servis Dei: sicut anno 1120, decretum fuit Sancto Arnulfo Episcopo Suesionensi in Concilio coacto ex diversis Provinciis sub Conone Legato Apostolico Calixti II, ad petitionem Abbatis Aldersforzensis eidem Concilio interessentis, & monstrantis vitam Arnulfi scriptam à Luifardo ejus successore in Episcopatu.

23 Sed & in ipso Alex. III. adest insigne exemplum apud Baronium ad annum 1161. ubi ad litteram exscribit litteras ejus Apostolicas Canonizationis Sancti Eduardi Regis Angliæ, quæ incipiunt: *Illius devotionis*, dat. Anagninæ 7. idus Februarii 1161. In quibus *Solicitam* (inquit) *cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ, dum in carne mortali viveret, omnipotens Dominus per suam misericordiam declaravit: visis etiam antecessoris nostri piæ mem. Innocentii*
 Papa

Pape, vestrisque testimonis inde recep-
tis : corpus ipsius Confessoris ita glo-
rificandum censuimus, & debitis præ-
conis adorandum in terris : unde in-
ter SS. Confessores numeretur. In qui-
bus non se refert ad testes tunc de-
ponentes, sed ad librum miraculo-
rum, & ad testimonia, quæ Cardi-
nales recipere potuerant ex litteris
sui Prædecessoris.

24 Dato autem, quod Alex.
III. non processerit ex illa vita scrip-
ta ; cum fuerit nedum virtutibus
ornatissimus, sed etiam litteris ex-
cultissimus, ut ait Baronius ad
annum 1159, (in quo electus est
Pontifex, præeunte Prophetia D.
Bernardi de ejus Pontificatu ;) quis
ambigat habuisse notitiam celeberrimi
facti D. Bernardi, narrati à
Guillelmo de puella injecta in ejus
lecto, maxime, dum se accinxit ad
ejus Canonizationem ? Vel ergo tale
factum intellexit, ut operatum ex
instinctu Spiritus Sancti ; & habe-
mus præcipuum intentum. Vel in-
tellexit, ut operatum à Bernardo
ex proprio Consilio, & Judicio : &
tunc proculdubio jusisset abradi ta-
lem narrationem à libro Guillelmi.
Sicut noscens, hominem occisum in
ebrietate coli ut Sanctum, edidit
decretalem, quæ habetur de Reli-
quiis, & Vener. SS. cap. *Andivimus* i :
qua omnino prohibet, eum colere ;
cum si per eum (inquit) *miracula fie-
rent, non liceret ipsum pro Sancto abs-
que authoritate Romanae Ecclesie vene-
rari ;* cultu, scilicet, publico, ut est
communis intelligentia hujus De-
cretalis. Et sicut ex mandato Sancti
Officii Inquisitionis, extante jam in
Expurgatorio anni 1640., ex vita
Sancti Martyris Menna apud Doc-
tum & piissimum Surium ad diem
11. Nov. expunctum est quod ibi

referebatur ut miraculum Sancti
Martyris, de claudio, ut supra vi-
dimus.

s. V.

*Procedit probatio ex libris, testibus,
& fama.*

25 **A**D libros, aut testes, reduci
potest versiculus ille ulti-
mus extans in quadam stropha hym-
ni, quo utuntur Cistercienses in Offi-
cio festi D. Bernardi.

*Pulsante femina, latrones clamitat:
Defixa lumina stagno præcipitat:
Abhorret carmina, luxum suppeditat:
Jacta cedit in lectulo.*

Quo in hymno, sicut in prioribus
versibus alluditur ad mirabilia, quæ
Deus operatus fuit in infantia, &
adolescencia Bernardi, quæ Guillel-
mus refert ; ita in ultimo versiculo
alluditur ad casum puellæ injectæ in
lectum ejus, relatum etiam à Guil-
lermo, & de quo præsens quæstio.

26 De hoc versiculo, sua
magna facundia, & felicitate dicen-
di, sive Sermone soluto, sive car-
mine, quidquid vellet, multa dicit
Leodientis à num. 72. De illo ver-
bo *cedit*, asserit, ibi significare idem,
ac *abire, discedere, & subterfugere* ;
adducens ex lexicis, & linguæ lati-
næ præcipuis scriptoribus, varias sig-
nificationes illius verbi : asserensque,
quod licet permittatur aliud signi-
ficare ad mentem Poetæ, & narra-
tionem Guillelmi ; non tamen ad
mentem Summi Pontificis, vel Sacræ
Congregationis, dum illam Stro-
pham approbavit, non attendens
ad originem, unde sumptus est ille
versiculus, sed præcisè ad hoc, quòd
illud verbum ex vi suæ significatio-
nis nihil absolum exprimeret. Addit,
in illo versiculo non exprimi puellam
in-

injectam fuisse nudam, ad turpia sollicitantem, & palpis, & stimulationibus Corpus Bernardi tangentem. Si namque hæc exprimerentur, nullatenus illa Strophæ esset approbata. Quod ut conficiat, proponit hymnum distincte explicantem, & factum, & instinctum, qualis ab impugnantibus Pinium concipitur; simulque ad leges metricas Alcibiadei carminis, asserens, sic fideliter exprimi narrationem Guillelmi, prout intelligitur ab impugnantibus Pinium: sic autem expositam nullatenus fore approbatam. Innuerat autem num. 75, Romæ pro Officiis SS. alicujus Ordinis, aut Ecclesiæ particularis, approbatores permittere hymnos, dum nil in sensu obvio detegunt absolum. Hæc in substantia Leodiensis.

27 Cui reponimus, in hymno à se formato exhiberi quidem palpas puellæ, sed non ita clare, hæc factas tempore, quo Bernardus vere dormiebat, somno in illis circumstantiis naturaliter impossibili, ut supra satis superque probavimus, nec in suo hymno vel leviter innuit, non ex Consilio, & Judicio proprio, sed ex instinctu Spiritus Sancti, Bernardum, illic ac sensit puellam injectam in suum lectum, in alterum latus se convertisse: & in hoc sensu Guillelmum tale factum narrasse, ut late probavimus toto art. 3.

28 Secundo reponimus, illum versiculum, ut ab ipso intelligitur, si alludat ad narrationem Guillelmi, ut verè alludit illa Strophæ in prioribus versiculis ad narrationes Guillelmi; sapere apud ipsum Leodiensem, errores ab Ecclesiâ damnatos in Michaelæ Molinos. Quis autem audeat dicere clarissimum Ordinem Cisterciensem, tot Sanctis, tot Summis Pontificibus; Cardinalibus,

Episcopis, & Doctoribus illustratum, in Officio sui Præclarissimi Patris S. Bernardi uti hymno, in quo aliquis versiculus alludat ad spurca? Sanè hi omnes Procures in Cistercio educati sunt: omnes Choro, dum sui Patris, & Dei laudes canebantur, interfuerunt: omnes in illo versiculo agnoverunt alludi ad factum Bernardi in casu puellæ, prout à V. Guillelmo narratur: si ergo, pro ut ab illo narratur, impudicitiam claudit, omnes errarunt, quousque R. P. Pinius anno 1739 in illo facto illas magnas difficultates invenit, & Leodiensis ipsi suppetias ferens, affinitatem cum erroribus damnatis in Molinoso, & cum secta novorum supersubstantiatorum persuadere in sua 1. Scholastica quaestione nifus est. Non permisit, non permittit hoc Spiritus Sanctus, intus, & latenter vivificans, tamquam cor ejus, & regens suam Ecclesiâ, sicut Christus, visibiliter nunc per suum Vicarium Romanum Pontificem, tamquam caput, ut tradit D. Thom. 3. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. Ecclesiâ namque ab Spiritu Sancto directâ, dirigit, ut membra sua, Sacras Religiosorum Familias, de earum ortu gratias agens Deo in illa oratione, qua solet uti in Officio Sancti, qui aliquem ordinem regularem fundavit: *Deus qui Ecclesiâ tuam nova prole secundare dignatus es &c.* Ut autem docet D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 12., facta, dicta, ipsæ etiam consuetudines Ecclesiæ maxima pollent autoritate, & majori, quàm sit autoritas Augustini, Hieronymi, aut cujuscumque alterius Doctoris; quandoquidem omnes SS. DD. tantam quantam habent autoritatem, ab Ecclesiâ acceperunt.

29. Secundo loco pro probatione in Decretali Honorii III. ponuntur testes. Pro facto autem narrato à V. Guillelmo sunt testes illi Episcopi, Clerici, Monachi, quibus fidem negare non liceat, ut asserit in præfatione. Testis etiam est Alanus, Abbas Aucupatorii, & Episcopus Antifiodorensis. Qui renunciato Episcopatu, ad suum Monasterium Claravallensem rediens eodem anno 1153, quo Sanctus Bernardus ad Cælum ascendit, & vitam ejus ex quinque prioribus libris in compendium redigens; casum puellæ eisdem verbis narrat, quibus Guillelmus. Testis etiam est Gaudefridus, confanguineus D. Bernardi, cum illo enutritus, & ad Cistercium veniens; qui de illo facto, & de aliis Bernardi certiore potuit habere notitiam; quem proinde Alanus ad suum compendium consulebat, refecans in illo illos casus, quos Gaudefridus non approbat, contentos in illis quinque libris. Refecasset igitur illum casum puellæ, sicut reliquos alios, narratos in illis quinque libris, si Gaudefridus non judicaret illum ut omnino certum.

30. Jam quantum ad famam; perspicuum est, ab eo tempore, quo post felicem obitum D. Bernardi circa medium seculi 12. in lucem prodit primus liber vitæ ejus usque ad annum 39. præsentis seculi 18, narrationem V. Guillelmi de puella ab omnibus absque ulla hæsitacione credita fuisse, & in gloriam Dei, & honorem Sancti Bernardi publicè prædicatam. Immo ab ipso Pinio in prima Editione, quam inseruit operi Bollandiano, notis marginalibus illustratam.

§. VI.
Procedit probatio ex adminiculis.

31. **A**minicula, quæ Honorius III. pro legitima probatione ponit, quia etsi per se non probent, tamen adjuvant, (ut ibi ait Glossa ostendens id textibus juris,) possunt etiam esse similia facta ex fide dignis Historiis accepta, & communiter à viris cordatis credita; ex quibus jam supra ex S. Gregorio Turonensi produximus illud insigne exemplum, S. Episcopi, qui ducens Virginem, & cum illa in eodem lecto dormiens, & hoc continuans postquam factus est Episcopus; cum hoc scandalo esset populo; à Deo obtinuit, ut insigni miraculo ostenderet utrumque Virginitatem servasse.

32. Insigne etiam adest exemplum, ejus etiam jam meminimus, in S. Eduardo Rege Angliæ, qui vivens cum Edita sua conjugè, illam reliquit Virginem. Cui exemplo potuit esse S. Henricus Imperator, qui communi consensu castitatem servans cum S. Cunegunda sua uxore; anno 1024. tempore suæ mortis, presentibus Episcopis, & Abbatibus, illam tradidit suis propinquis dicens: *Accipite quam mihi tradidistis Virginem vestram.* Præcesserat ad medium seculi V. exemplum insigne Sanctæ Pulcheriæ Augustæ, Arcadii Imperatoris filiæ, quæ, mortuo fratre suo Theodosio anno 450, egit apud Senatum, ut eligeretur Imperator Egre-gius vir Marcianus, ex milite, sua virtute per gradus ad hanc sublimitatem evehctus: cui jam quinquagenaria major voluit nubere, ut jure conjugii clarior haberetur; salva tamen virginitate, quam, Deo voverat,

& in Matrimonio, exemplo SS. Matris Dei, integerrimam servavit utque ad annum 453. die XI. Septembris, in quo feliciter obiit, pauperibus relictis omnibus suis bonis. Anno 1115. diem clausit extremum in perpetua Virginitate piissima Comitissa Mathildis, à S. Gregorio VII. instructa, S. Ecclesiæ Romanæ additissima: in cuius gratiam bellum intulit Henrico IV. suo Cosobrino, cum securitate suæ Virginitatis nubens Vvesino Duci.

33 Seculo XVI. Beata Lucia de Narni, cum Deo vovisset suam Virginitatem, & Matrimonium sibi oblatum recusasset; tandem Dei monitu admisit sponsum: sed inito pacto, ne ejus Virginitatem læderet. Quam plurima ab sponso perpeffa fuit: sed tandem ab illo obtinuit, ut ab illo separata habitum Tertii Ordinis Prædicatorum suscipere. Sub quo à Superioribus Missa Viterbium, Sacris Stigmatibus conspicuis, & cruentis, à Christo Domino insignita fuit: & adnitente Hercule, Ferrariæ Duce, Jussu Summi Pontificis Ferrariam migravit. Ubi, constructo sub invocatione Sanctæ Catharinæ Senensis Monasterio, institutendis nobilibus puellis, dirigendisque Sacris Virginibus, diu præfecta fuit. Migravit ad Sponsum anno 1544. Cum autem anno 1710. ex ejus corpore decisum crus ad Civitatem Narniensem transferretur, corpus adhuc incorruptum inventum est, Sacrorum Stigmatum cicatricibus conspicuis, ut legitur in lectionibus 2. noct. festi ejus die 16. Nov., concessi à Benedicto XIII. pro universo Præd. Ord., & Clero Narniensi, Viterbiensi, & Ferrariensi.

34 Alia quam plurima mirabilia castitatis affert Cornelius à La-

pide occasione exponendi in sensu Mystico illud mirabile de tribus pueris misis in fornacem, de quibus Danielis 3. v. 50. dicitur: *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* Inter illa refert de V. & SS. Viro Fr. Dominico (alio, inquit, à SS. Fundatore.) De quo Bernard. Guido Episc. Lutevensis in Comment. de Reb. Ord. N. scribebat sic. *Fuit memoratus Dominicus humilitatis eximia: homo quidem parvus corpore, sed scientia, & virtute magnificus: cujus V. corpus Perusii, conditum apud Nostros singularem venerationem meruit.* Fuit namque ille ex primis sociis SS. Nostri Patriarchæ, zelantissimus gloriæ Dei, & salutis animarum. Prædicante autem eo apud comitantes S. Regem Ferdinandum in obsidione Civitatis Hispalensis, vehementiusque invecro in pravos, ac lascivos mores Magnatum, & Nobilium; cum ægre ferrent ejusmodi increpationes, meretrix quædam famosa sub pena sui capitis spondit, se ita cum illo Prædicatore acturam, ut cum ea actu peccans veniretur. Ut autem hoc expleret, fingens se à sua perdita vita serio conversam ad bonam frugem, illum Prædicatorem adiit, sua peccata in Sancto Tribunali penitentia confessura; continuans hanc fictionem, quousque intellexit confessarium verè esse deceptum. Tunc autem intimum dolorem fingens, & adeo acrem, ut certo moreretur, si doloris causa non tolleretur; urgente confessario, ut doloris causam manifestaret, quam pandere recusabat, tandem dixit, se vesano ejus amore teneri. Quo audito, V. Vir pro responsione quatuor dierum inducias petiit. In quibus Deo se commendans, & ab ejus clementia Consilium, & auxilium humiliter deprecans, illud impetravit: meretrici

que redeunti dixit, ut tali die, & hora, ad suum hospitium accederet, ut suo desiderio satisficeret. Venit illa pluribus comitibus, qui ingrederentur ad signum, quod illa daret. Interea B. Vir disposuit magnam rogum in modum lectuli: illaque ingressa, ipse in illum se iniecit, dicens: *Eia age: hoc erit lectum, in quo adimplebo tibi promissum: nec aliud speres; nam operi adeo Diabolico non aliud quam igneum respondet lectum.* Ad cujus conspectum misera illa magno cum clamore corruit: testesque adducti, judicantes, hunc clamorem esse signum, quod illa dederat, ingressi, & stupentes; illam interfecissent, nisi misericors Vir pro ejus incolumitate rogasset: sicut & postea rogavit, ne juxta suum pactum pena capitis puniretur. Narrat hunc casum nolter Marchesius ex Thoma Cantipatrano, lib. de *Apibus*, & ex aliis.

35 D. Gregorius lib. I. Dialog., mirabilia narrans de S. Equitio, Abbate Provinciæ Valeriæ, cap. 4, inter alia narrat, quod cum in sua juventute ingentibus fuisset afflictus libidinosi incendiis; & pro eorum extinctione ferventiùs oraret: *Quadam nocte, assistente Angelo, eunuchizari se vidit, ejusque visione apparuit, quod omnem motum ex genitalibus ejus membris abscinderet; atque ex eo tempore ita alienus exitit à tentatione, ac si sexum non haberet in corpore.* Quid lib. 2. Dialog. cap. 2. narret de Castitate data SS. Patri Benedicto post arduissimam tentationem, & sui corporis volutationem inter urticas, & spinas; jam in superioribus diximus.

36 De Angelico Doctore D. Thoma Aquinate, adhuc juvene, sic legitur in lect. 2. noct. feli ejus:

Mulierem etiam, que ad labe faciendam ejus constantiam introducta fuerat, titione fugavit. Max flexis genibus ante signum Crucis orans, ibique somno correptus, per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos: quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit. De SS. Sacræ Societatis Jesu Fundatore S. Ignatio de Loyola, refert V. ejus discipulus, & charissimum locupletissimus, ac fidelissimus testis Petrus de Ribadaneyra, quod, cum in initio suæ conversionis infirmitati suæ in lubrico carnis pertimesceret, & B. Virginis fidei se totum committeret, noctu vigilantissimi Mater filium complexa se illi conspicuum ostendit. *Quo viso* (inquit in vita latinitate donata per P. Gasparem Quartimant. cap. 2.) *tantum repente capit fastidium inivium, que inhonestæ præsertim voluptati conjuncta sunt, ut omnes earum rerum imagines ex illius memoria aspectus ille deleverit, castitatemque jam tunc ad extremum usque vitam integram, illibatamque servaverit.*

37 De Sancto Thuribio Alphonsio Mogrovejo, Collegii Majoris Ovetensis, hujus Universitatis Salmantiniæ clarissimo Juvare, Limano Archiepiscopo, à Benedicto XIII. anno 1726, in album SS. evector, in lect. 2. noc. feli ejus, 27. Aprilis, sic legitur: *Liberalibus disciplinis, & Juri Canonico Salmantica in Majori Collegio Ovetensi Sancti Salvatoris ita operam dedit, ut tamen potterem temporis partem orationi, aliisque piis & christianis exercitiis impenderet. Id improbatum est, cum immixtam in ejus cubiculum impudicam mulierem præcipuus Virginitatis sectator constanti animo extemplo expulit.*

38 De Sancto Joanne à Cruce, primo, post S. Matrem Virg. Theresiam,

siam, Carmelitarum Discalzeatorum Parente, ab eodem Benedicto XIII. in SS. numero adscripto, in lect. 2. noct. pro festo ejus ad diem 24. Nov. sic legitur: *Virginitatem perpetuo coluit: mulieres impudicas, à Demone suscitatas, & ad labefactandam ejus pudicitiam multoties immixtas, necum fugavit, sed, quod rarum, ad meliorem partem reduxit.*

39. Hæc, & alia similia, quæ adduci possent, & operatus est Deus, mirabilis in Sanctis suis, prudenter credimus, & absque ulla hæsitatione. Quidni ergo similiter credamus narrationem V. Guillelmi, viri adeo integerrimæ vitæ, & Theologicæ Sapientiæ, qualem cap. 1. Præhud. 2. ex certissimis documentis vidimus?

40. Additur, ex opposito sequi haud leve inconveniens: nempe, Ecclesiam carere historico, cui certo, & absque ulla hæsitatione fidamus, & credamus circa primordia tanti Doctoris, qualis fuit S. Bernardus, Mellissus Pater, & Doctor. Si namque in narratione hujus gravissimi casus (idem de illo, qui materiam dabit dissertationi sequenti) deprehenditur deceptus, & falsa narrans; unde nam certo agnosceremus, in aliis narrationibus non fuisse deceptum, & falsa narrantem? Cum tamen, ut jam vidimus, accerimi Judicii Vir, Sapientissimus Mabillonius, in admonitione præfixa ad vitas Sancti Bernardi, asseruerit, forte nullum alium Sanctum præclarioris sortitum fuisse historicos suæ vitæ: inter quos primus fuit V. Guillelmus.

non obno un §. VII. Exponitur Constitutio Leonis X.

41. LEO X. in Concilio Lateranensi die 19. Decemb. anno

1516. promulgavit Constitutionem, quæ incipit: *Superna Majestatis*, & est 21. in Bullario Cherubini. In qua postquam §. 7. ex Propheta Amos, & Apostolo dicitur, nonnullos ad extraordinaria contra leges communes Dei Spiritu agi, cui rebelli non potest, ut asserit Urbanus II. Cap. *Due sunt leges* 2. causa 19. quæst. 2.; sic subdit: *Quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni Spiritui, sed sunt probandi spiritus, (teste Apostolo) an ex Deo provemant; ut lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc, Apostolica sedis Examini reservata intelligantur.* Hæc Summos Pontifex. Qui providens necessitati, quæ forsitan possit occurrere; *In casu (inquit) periculi in mora, aut urgentis necessitatis, hoc committimus Ordinario, adhibitis tribus, vel quatuor viris doctis, & gravibus.* Cum ergo non constet hoc factum Bernardi, contra leges communes, ex instinctu Spiritus Sancti, ut nos asserimus, procedens, à Sede Apostolica per examen fuisse approbatum; non potest sic promulgari.

42. Negatur hæc consequentia: quia leges, & Constitutiones dant formam futuris, sed non efficiunt præterita, ut est communis theoricæ in utroque Jure, expressa in Canonico de *Constit.* cap. *Cognoscite* 2, ex S. Gregorio in registo lib. 7. Epist. 35. ad Fortunatum §. *Quoties*, ubi sic docuit: *Quoties novum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, ut dispendiis præterita non incommodet: ne detrimentum ante prohibitionem ignorantes possint incurrere.* In Civili autem, leg. penultim. cod. de *Decurionibus*. Dixit autem D. Greg. consulto, *Ita solet: quia ali-*

quando extenduntur etiam ad præterita, ut quando sunt declaratorie, aut quando nominatim sic extenduntur. Leo autem X. expresse dicit, se legem ordinariam sta-

tuere pro futuris. Præterquam quod Alex. III. hoc approbasse, ut factum ex instinctu Spiritus Sancti, in superioribus jam probare conatus sum.

ARTICULUS VI.

RESPONSIO AD DUO DUBIA,

quæ possent occurrere.

§. I.

PRIMUM DUBIUM.

Utrum factum Bernardi possit dici miraculosum?

I DE gratia gratis data miraculorum agit D. Thom. ex professo 2. 2. *quæst.* 178, ubi *art.* 1. docet, miracula esse quædam opera supra naturam, quæ tamquam à causa principali tantum possunt fieri à Deo, qui illa ordinat, ut nobis fiant credibilia, quæ ipse supra naturam, vel revelavit, vel fecit. In 2. autem *art.* ait, tamquam à causa instrumentali posse etiam fieri ab homine existente in peccato mortali, quando efficiuntur ad confirmandas veritates fidei Catholicæ. Sed si efficiantur ad confirmandam Sanctitatem hominis vivi, aut vita functi, tantum fiunt à Sanctis. Undè ad Canonizationem SS. proceditur per probationem miraculorum, quæ viventes, aut vita functi, effecerunt.

2 Equidem miraculosum fuisse somnum, quo Bernardus correptus fuit in casu puellæ injectæ in ejus lectulum, vidimus *art.* 3. §. 3. : & illo confirmatum esse, ex instinctu Spiritus Sancti processisse factum Bernardi, dum illam sentiens cum

omni pace, & silentio in alterum latius se convertit. Nunc inquirimus, utrum hoc ipsum factum in bona Theologia possit censerī tamquam miraculosum? Pro cujus dubii resolutione notandum est cum D. Th. r. 2. *quæst.* 113. *art.* 10, quod ut aliquid censeatur miraculum, non tam attenditur ad granditatem operis facti, quam ad modum, quo fuit factum. Undè licet *art.* 9, cum D. Aug. docuerit, justificationem impij majus Dei opus esse, quam creationem Cœli, & terræ; tamen justificationem impij, ut regulariter fit per dispositionem imperfectam, quæ peccator per metum servilem, fidem, & spem veniæ, disponitur ad perfectam conversionem in Deum, non dici, aut censerī miraculosam: fuisse autem miraculosam justificationem, & conversionem Pauli, quæ subito ad Deum perfecte conversus fuit, adhibita etiam exterius miraculosa postratione: unde tamquam miraculosa ab Ecclesia celebratur.

3 Igitur ut aliquid miraculosum censeatur, requiritur, quod in ejus efficientia consuetus ordo non fervetur: sicut cum aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur præter solitum cursum sanationis. Et

juxta

juxta hæc factum Bernardi posset videri miraculosum, quia ab illo præsentissimo periculo peccandi mortaliter non fuit liberatus juxta leges communes, & modum regularem operandi, fugiendo à lecto, aut clamoribus fugando feminam sollicitantem ad turpia.

4 Ex alia parte videtur, non fuisse miraculosum juxta doctrinas traditas ex D. Th., quia fuit effectum juxta modum regularem, quo facta ex Donis solent fieri; existentibus in Bernardo permanenter, utpote gratia gratum faciente prædico, habitibus Donorum, quibus proxime erat dispositus, ut non se impediens ageretur, & moveretur à Deo instinctu respondente Donis, ad ita operandum, & ut, ita operando, peccatum vitaret, ut constat ex dictis in Præludio de Donis.

5 Pro utraque parte propositæ sunt rationes dubitandi, unde satius duxi, resolutionem lectori relinquere.

DUBIUM SECUNDUM.

Unde V. Guillelmo venit notitia hujus facti, cum circumstantiis, quas à Bernardo, utpote dormiente, non potuit accipere?

6 **L** Eodienſis in 1. quæſt. §. 6. num. 103. aſſerit, puellam

totam rei ſeriem poſtmodum retuliſſe aliis: à quibus eandem poſt annos plurimos accepit Guillelmus; quod ſatis verſimile eſt. Videtur etiam probabile, quod, cum illa horrore ingenti, atque admiratione perfulſa auſugerit; ceſſante jam tentatione, in ſe converſa, ad Confefſarium accederet, cui totam rei ſeriem narraret, & culpas ab ea commiſſas Sacramentaliter manifeſtaret; data Confefſario licentia manifeſtandi in gloriam Dei totam rei ſeriem, celato nomine, & qualitate pœnitentis.

7 Nec proſus caret fundamento, quòd hoc ſcierit ab ipſo Bernardo, omnia interiora ſui animi ipſi manifeſtanti, ut vidimus cap. 1. Præluđ. 2. Sicut enim alia quam plurima Dominus ſuo ſervo Bernardo revelavit, ita credibile eſt, quòd, ut animos ſumeret, & ſuæ providentiæ ſidentiffime niteretur in tot arduis, quæ pro ſua Eccleſia aggreſſurus & geſturus erat; ipſi etiam revelaverit, quomodo ipſum liberaverit ab illo præſentiffimo periculo amittendi ſuam gratiam, media illa puella, inſtinctu Dæmonis nullum lapidem non movente, ut etiam poſtquam dormivit, ipſum excitaret, & ad turpia pertraheret. Et de hac diſſertatione hæcenus.

DISSERTATIO II.

DE JUSTITIA D. BERNARDI IN SUA ADOLESCENTIA, prorsus aliena ab injuria proximorum, prout constat ex V. Guillelmo lib. I. vitæ ejus cap. I. alias 3.

Alterum nævum invenit R. P. Joannes Pinius ad calcem seorsæ Editionis, non quidem in D. Bernardo, sed in ejus adolescentiæ

imagine affabre depicta à V. Guillelmo. Quem depellere in hac dissertatione, Deo dante, curabimus, facilius, ac brevius, per duos Articulos.

ARTICULUS I.

EXSCRIBITUR AD LITTERAM NARRATIO

V. Guillelmi, quam notat Pinius, cum ipsa ejus notatione.

Icet cap. I. Prælud. I. extet imago infantix, pueritiæ, & adolescentiæ, usque ad Monachatum, cum omnibus, quæ in his ætatibus acciderunt, & narrantur à V. Guillelmo; placuit in limine hujus dissertationis, narrationem, cujus partem castigationis indigam censuit P. Pinius, ad litteram apponere.

Contigit item (inquit V. Guillelmus apud Hortium num. 7.) ut cum focis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tamquam honoratori omnium, seorsum ei fecisset lectulum præparari; surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec Consilii inops, cla-

mare cepit, latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ, sicut prius, pausant ceteri, sed non illa misera requiescit. Exurgit denuò, & Bernardi lectum petit: sed denuò ille proclamat, latrones, latrones. Quæritur iterum latro: latet iterum, nec ab eo, qui solus noverat, publicatur. Ufque tertio improba mulier sic repulsa, vix tandem, seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum Socii; quoniam toties ea nocte latrones somniaverit perquirebant. Quibus ille veraciter, inquit, aderat latro, & quod mihi pretiosius est in hac vita, castitatem, videlicet, hospita-

nite-

nitebatur auferre, incomparabili-
lemque Theaurum. Hæc Guil-
lelmus.

ANNOTATIO PINII AD ILLUD;
hospita nitebatur &c.

3 I mputatur hic Sancto manifesta-
tio occulti criminis, & reve-

latio peccatricis, quam ipse solus
noverat, non autem alii, quibus
eam manifestabat. Cum autem hoc
non liceat sine justa causa, vel sine
aliqua necessitate, ac neutrum appo-
nat Biographus; lectori iterum dif-
ficultatem creat. Hæc est annotatio
Pinii, quam Leodiensis in 2. quæst.
Scholastica defendit, sed nihil addit.

ARTICULUS II.

UTRUM V. GUILLELMUS LECTORI SIGNIFICET,

*Bernardum manifestasse sociis nescientibus
peccatum hospitiæ?*

§. I.

NOTABILIA PRO RESOLUTIONE.

1 P rimo prænotandum est, ut
jam innumis in disserta-
tione præcedenti, ad Historici ger-
manam mentem indagandam lec-
torem non posse alias circumstantias
comminisci præter positas ab histo-
rico, ut benè notavit Leodiensis.
Debet tamen lector attendere, ne-
dum ad ea, quæ sua sponte in sen-
su obvio inferuntur ex expressis ab
historico, ut Leodiensis etiam bene
dixit; verùm etiam ad præcipuum
finem, quem Historicus intendit in
suis narrationibus. Item nosse, quam
facultatem ex severioribus, quem-
que statum, secularem, scilicet,
aut regularem, professus sit, quali-
busque moribus præditus: ex his
namque regulariter provenit quali-
tas methodi, & styli, quo usus fuit.
Quæ si attendat, in nostro casu
videbit, Historicum fuisse Abbatem
Sancti Theodorici, & renunciata
Abbatia, diem clausisse extremum

jam Monachum Cisterciensem, Sa-
pientissimum Theologum, virtuti-
busque insignibus exornatum, ut
constat ex dictis cap. 1. Prælud. 2.
In scriptione autem vitæ S. Bernardi,
adhuc superstitis, sed nescientis,
præcipue intendit gloriam, & ho-
norem Dei in operibus misericis,
quæ operatus est in illo suo servo
Sanctissimo, ut patet ex ejus præfa-
tione. Ex quibus etiam notare de-
bebit, quod, si quæ acciderint in
aliquo factò ab ipso narrato, in
quibus, attenta qualitate personarum,
connaturale sit, turpiloquia in-
tercessisse; Guillelmus tamen castis
prorsus verbis semper utatur; cum
ejus gravitatem, Religiosumque ita-
tum aliud eloquii genus dedeceret.

2 Debebit etiam lector, si
quæ Historicus antea narraverit,
quæ lucem afferant dictis in alia
narratione, ad illa attendere, ut
mentem historici recte percipiat. Et
quidem in narratione, castigata à
Pinio, specialis fit mentio de sociis
comitantibus Bernardum in illo
hof-

hospitio. Quales autem, & quam diverfarum morum à Bernardi moribus fuerint, clarissimè expresserat Guillelmus num. 6. immediate præcedenti, sic inquit: *Obsidebant autem benignum juvenis animum sodalium dissimiles mores, & amicitia procellosa, similem sibi efficere gestientes. Quæ si ei dulcescere persisterent, necesse erat, amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus infederat, castitatis amorem.* Quænam autem fuerit hospita, qualiterque se gesserit illico, ac vidit Bernardum adolescentem aspectu decorum; paucis, sed valde prægnantibus, tametsi castis, expressit Guillelmus, dum dixit: *Conspiciens autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam ejus exarsit.* Unde haud temere illam contemplari possumus, qualem Virgilius, (sive Historia, sive Fabula poetica sit) describit Didonem, illam, antea heroinam, dejectam adèd, postquam vesano capta fuit amore Ducis Æneæ. Carnalis amor modum nescit: flammæ, quibus intus urit, foras mittit per oculos, & cuncta corporis membra. Quod quàm plurimis, cum prophanis, tum Sacris Scripturæ, & Patrum, sententiis, haud difficilè exornari posset.

3 Hæc porrò Bernardus non vidit, aut attendit in hospita. Nam ex quo leviori, & curiosiori aspectu cujusdam femine, tanta in ipso excitata est concupiscentia, ut ad illam compefcendam insilierit stagno gelidarum aquarum collotenus; tamdiu inibi permanens, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis à calore carnalis concupiscentiæ penitus liber fuit, & induens illum castitatis affectum,

quem induerat, qui dicebat Job 32. *Pepigi sedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine, ut narraverat Guillelmus eodem num. 6; aspectum feminarum magno studio cavebat.*

4 Verum quæ Bernardus non vidit, socii diversorum morum, necdum viderunt, sed & curiosius proculdubio attenderunt: & maxime quando clamante Bernardo, *latrones, latrones*, lux accensa fuit, & omnes in hospitio existentes ad cubiculum Bernardi cucurrerunt. Venit namque proculdubio etiam ipsa hospita, ut satiaretur pulchritudine adolescentis, quem deperibat: sicut dicitur de illis improbis senibus præcipientibus, ut Susanna præ verecundia cooperta, discoopiriretur, *ut satiarentur decore ejus*, Dan. 13. v. 32. Certe ad illam, ejus gestus, & maxime oculos in Bernardum verfos, illi adolescentes proculdubio suos oculos converterunt, ut cuncta in illa notarent: egressique foras inter se omnia hæc conferebant, sicut & studium quo illa disposuit Bernardo seorsum præparari lectum, ubi liberius ipsa posset suam explere libidinem. Forsan alicui ex illis, libentius vacantibus poetis, quàm facultati propriæ, illud carmen occurrit, hospita in his circumstantiis fatis accommodum:

*Noctis erat medium, curasque, & corpora
somnia somnus amittens, amara cup
Solvebat: Virgo Cynercia pervigil igne
Carpitur indomito ::;*

illudque omnes canebant, ut irrifione hospita levius ferrent molestiam, quam ter illis intulit ardore libidinoso correpta.

5 Hæc omnia, si lector hujus narra-

narrationis serio notaverit, ni mea vehementer me fallit imaginatio, nullam inveniet difficultatem in narratione Guillelmi. Ex his namque omnibus ultro procedit conclusio resolutiva quæstionis.

s. II.

CONCLUSIO NOSTRA.

Guillelmus in sua narratione satis significavit, Bernardum non manifestasse hospita crimen, nisi postquam ex illa Jocosâ coargutione sociorum certò cognovit, ipsis peccatum hospita fuisse manifestum, & certò exploratum.

6 **H**Æc conclusio tamquam certa habita fuit, ab ipso etiam Pinio, in prima Editione vitæ S. Bernardi, quam inseruit Operi Bollandiano in acta SS., usque ad annum 1739., in quo, expleta jam secunda Editione seorsâ, proculdubio non considerans ea, quæ lucem dabant rectæ intelligentiæ illorum verborum, hospita mitebatur &c.; ad calcem hujus Editionis apposuit præfatam annotationem.

7 Probatum autem conclusione generali, sed plane convincenti. Peccatum occultum proximi non posse, citra peccatum mortale contra justitiam, manifestari aliis, sine justa causa, & gravi necessitate, cuilibet fideli, mediocriter instructo in ipsis rudimentis Doctrinæ Christianæ, est notum, & certum. Quis ergo credat, hoc latuisse Abbatem Sancti Theodorici, excellentissimum Theologum, virtutibusque magnis præditum, qualem vidimus Guillelmum cap. 1. Præf. 2.? Quod si hoc non latuit ipsum; quis cre-

dat, hoc grande peccatum in sua narratione imputasse D. Bernardo? Cujus innocentiam ab infantia in suo opere manifestare intendebat, ut patet in ejus præfatione: Ubi ad ipsum Deum sermonem dirigens: *Quis enim (inquit) de amore tuo quantumcumque spiraculum vitæ habens, & videns testimonium gloriæ, & honoris tui, tam præclarum, & tam fidele, mundo insolitum effulsisse, non det operam, quantumcumque poterit, ne lumen à te accensum tuorum quempiam lateat &c.*

8 Nec ego auderem præfatam annotationem tribuere R. P. Joanni Pinio, viro utique Theologo, cui sua sacra, & docta societas commisit arduum sanè opus continuandi acta SS.; nisi talem notationem, ut appositam à Pinio, vidissem ad calcem seorsâ Editionis, nuncupatæ Rmo. Abbati Claravallensi. Multo magis miror, virum disertissimum, qualis proculdubio fuit Leodiensis, anno 1744. post tot transacta tempora, (in quibus reflectere potuit ad jam à nobis prænotata super annotatione Pinii,) assumpsisse in suo libello, quæst. 2. Scholast. defendendam, & propugnandam præfatam Pinii annotationem.

9 Secundo probatur conclusio ex prænotatis §. 1. Si mihi adesset, illa Leodiensis felicitas dicendi, sive serio, sive joco, quidquid vellet; sermocinatione ita amplificare possem illam sociorum jocosam reprehensionem, (quam castis, & brevibus verbis, ut suam dignitatem decebat, complexus est V. Guillelmus dicens: *Arguentes Bernardum socii, quosnam toties ea nocte somniaverit latrones, perquirebant*) ut ob omnium oculos ponerem veritatem statuti nostræ conclusionis. Sed & ipsum

I eodenssem, ut pote Sacrae Theologiae Doctorem, pudor vetaret, ne scurrilibus illis verbis, quibus socii Bernardi illum ipso joco sibi similem effecere gestiebant, uteretur. Igitur, ut potuero, conclusionem probabo sic. Guillelmus socios inducit somnio tribuentes clamores illos Bernardi *latrones, latrones*, sed satis insinuans in illo joco hospitae memores fuisse, excludentes tamen ab hospita malignitatem latronis, & ferociam. Quod ex responsis illis à Bernardo dato satis colligitur. Illi namque negabant illa nocte ullum in hospitio fuisse latronem: Bernardus autem, *veraciter*, inquit, *aderat latro, & quod mihi pretiosus est in hac vita, castitatem, videlicet, hospita nitebatur auferre*. Quasi diceret: non somniabam, cum ter clamavi, *latrones, latrones*: Sed hospita, cujus vos libidinosum furorem satis novistis, ut ex vestro joco patet, erat truculentus latro, qui ter nisus fuit à me auferre incomparabilem Theaurum castitatis.

10 At objiciet aliquis ex ipso Guillelmo, dum in ipsa praecipua narratione inquit: *Quaritur iterum latro: latet iterum: nec ab eo, qui solus noverat, publicatur*. Ex quibus sic arguitur. Hoc dixit Guillelmus in secundo clamore Bernardi, cui, uti & primo, proculdubio interfuerunt ejus socii; & tamen Guillelmus dicit, in illo secundo clamore solum Bernardum novisse quinquam esset latro: ergo tunc socii nondum sciebant, quinquam esset latro, quem Bernardus suis clamoribus fugaverat: illa namque propositio, *Bernardus solus noverat*, cum sit exclusiva, equipollet huic copulativae: *Bernardus noverat, & nullus alius noverat*.

11 Huic replicae, ex qua forsitan, aliis non consideratis, equivocationem passus est Pinus, solutionem genuinam, uti & germanam intelligentiam illorum Verborum Guillelmi, *solus noverat*, praevenerit jam illud praenotabile, quo Bernardum ita in oculis cautum vidimus, postquam ex curiosiori feminae aspectu tanta in eo concupiscentia exarsit. Unde legitimus sensus illorum Verborum Guillelmi est: vel, *solus Bernardus noverat notitia experimentalis*, sed non excludente aliam notitiam moraliter certam, quam ex aliis motivis socii haberent: vel (quod conformius videtur menti Guillelmi) tò *solus* excludit ab apprehensione, & judicio Bernardi, notitiam, quam alii haberent de turpitudine hospitae; nam cum ipse non viderit gestus ejus, ex libidinosa flamma foras erumpentes; judicabat omnes alios latere ejus impudicitiam, & furiosum amorem erga se. Unde potius hinc fit argumentum pro conclusione nostra. Nam si Guillelmus curavit ostendere, quanta vigilantia Bernardus honorem, & famam proximi servari curaverit, etiam in circumstantiis, in quibus forsitan causa sufficiens adesset publicandi ejus crimen, ne iterum tentationem, adeo arduam, & in qua casum timere posset ex sua fragilitate, iteraret; sicut defacto iteravit; qualiter Bernardum induceret manifestantem crimen hospita sociis nescientibus illud, dum jam nulla suberat causa, aut necessitas, illud palam faciendi nescientibus illud?

12 Sed si adhuc replicet quis ex doctrina, qua, ad finem praecipue intentum ab historico remittimus, sequi, Guillelmum debuisse omitte-

re totam narrationem itineris, & joci sociorum cum Bernardo: nam in Bernardi responso licet non inveniatur peccatum mortale, tamen illud respersum fuisse imperfectione aliqua morali, videtur non posse negari. Perfectiori namque modo operatus fuisset, si patienter reprehensionem sociorum sustinuisset, nec excusare curasset clamores, quibus illa nocte omnes conturbavit.

13 Respondetur, negando assumptum replicæ. Immo in hoc V. Guillelmus se ostendit sapientem, & integerrimum historicum, quod defectus Bernardi non dissimulavit. Unde sicut de illo dixit cap. 10, quod cum à Galdrico, avunculo suo, & Guidone, primogenito suo fratre, increparetur verbis durioribus illum exagitantes, jam Abbatem Claravallensem: etiam bene ab eo gesta calumniantes, & anihilantes signa, & miracula, quibus, quoscumque infirmos inveniret, sanitati restituebat: quæ illi bono zelo efficiebant, ne adhuc juvenis patratione illorum signorum extolleretur. Ipse autem Bernardus, qui nimis verecundus erat, sic frequenter impropere in lacrymas prorumperebat; in quo nonnullus animi defectus apparet: ita defectum Bernardi, quem in itinere passus est, noluit tacere. Nam Sapientissimus Canus *de Locis Theolog.* lib. XI. cap. 6. pro scribenda vita Heroum Ecclesiæ desiderat viros similes Suetonio, heroica Imperatorum narranti, sed prava, aut imbecillia, non tacenti: quia & ipsi ab Spiritu Sancto acti Evangelistæ Sacri Apostolorum defectus, si quos habuere, postquam à Domino vocati sunt, non dissimularunt, sed narraverunt, & nec ipsa D. Petri Christum negantis peccata tacuerunt.

14 Porro cuncta dicta in hac dissertatione, immo & in præcedenti, circa Notas Pinii appositas in seorsâ Editione, valide confirmari videntur, si ipsum Pinium consideremus, procedentem in 1. Editione, inserta Operi Bollandiano, & in seorsâ nuncupata Rmo. Abbati Claravallensi. Sanè in prima totus accinctus fuit serâ lectioni illorum clarissimorum Scipiorum vitæ Sancti Bernardi, quos ita laudat Sap. Mabillonius: quibus jure adaptari debet, quod asserit Sap. Cano lib. laudato cap. 6. dum inquit: *Magnis, præclarisque virtutibus Viri Sanctissimi, atque optimi id consequi meruerunt; ut in rebus hujusmodi, quas, vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis habeatur.* Quod cum illis tribus merito tribuatur; de Guillelmo nullo modo dubitandum est, ut patet ex cap. 1. Prælod. 2. Unde Pinus in illa 1. Editione nullam annotationem apposuit: immo narrationes eorum notis marginalibus illustravit, ut patet in casu puellæ injectæ in lectum Bernardi.

15 Caterum circa secundam Editionem seorsam aliter Pinium se gefisse, valde verosimile est. Neque enim expediebat, ut vir, judicatus idoneus ad continuandum illud opus Egregium Bollandi in acta ss., distraheretur ab hac continuatione, causa novis typis edendi Antuerpiæ, *Vitam Sancti Bernardi, cum commentario prævio*, jam Antuerpiæ editam, & correctam: cum hoc recte perficere posset quivis alius mediocriter instructus. Passus igitur est æquivoocationem ex defectu memoriæ: quod eruditissimis quibusque sæpe accidit: *Est namque insida excogitatorum custos*, ut S. P. Augustinum dixisse jam vidimus.

LOCO CORONIDIS HUIUS OPUSCULI

Elogium,

QUO ANGELICUS PRÆCEPTOR EFFERT MEL-
 listuum Doctorem D. Bernardum in Sermone, quem de ipso con-
 cinnavit, & extat in libro sermonum ejus, de tempore, & Sanc-
 tis, invento in Bibliotheca Vaticana, excusso in operibus S. D.
 jussu S. Pii V. tom. 16. post Epist. S. Pauli; & seorsum
 Parisiis in octavo anno 1578.

Quanti D. Thomas semper fece-
 rit D. Bernardum, & ejus
 doctrinam; satis elucescit in
 omnibus ejus operibus Theologicis.
 Constat etiam ex responso ejus ad
 Monachos Fossanovæ, quibus ro-

gantibus, ut compleret commenta-
 ria sui Sanctissimi Parentis in Can-
 tica, dixit: *dare mihi spiritum Bernardi.*
 Sed laus directe intenta præcipue
 fulget in laudato Sermone, quem
 jam subjicimus.

SERMO, SEU ELOGIUM D. BERNARDI,
 per S. Thom. de Aquino.

Thema: *Aurum, & multitudo gemmarum, & vas pretio-
 sum labia scientiæ.* Prov. 20. v. 15.

Posunt, (inquit S. D.) hæc ver-
 ba exponi de B. Bernardo.
 Aurum fuit omnibus os ejus de
 Deo loquendo. Multitudo gemma-
 rum de moribus, & virtutibus:
 vas pretiosum, loquendo de dul-
 cedine contemplationis. Fuit ergo
 os ejus, os aureum; quia per
 aurum intelligitur divinitas: os
 gemmeum, quia per gemmas in-
 telliguntur virtutes: os pretiosum,
 quia vino dulcedinis inebriavit to-
 tum mundum. Vel aurum fuit B.
 Bernardus per voluntatis sanctita-
 tem, multitudo gemmarum per
 morum honestatem, & virtutum
 multipliciter: Vas pretiosum per

virginitatis puritatem. Hæc tria
 cantantur de eo. B. Bernardus
 quasi vas auri; ecce aurum soli-
 dum, ecce pretiosum ornamentum
 omnium lapidum pretiosorum:
 Ecce multitudo gemmarum. Fue-
 runt autem in hoc novem gemmæ
 de quibus dicitur Ezech. 28: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum,*
Sardius, Topatius, &c. Lapidus isti
 significant novem ordines Ange-
 lorum, quibus fuit dotatus B. Ber-
 nardus; quia habuit in se virtutes,
 & officia omnium Ordinum An-
 gelorum, sicut dicitur in libro,
 ubi scribuntur acta ejus.



DISSERTATIO APPENDIX.

DE VITANDA OCCASIONE PROXIMA peccandi lethaliter.

IN præcedentibus dissertationibus vidimus S. Bernardum adolescentem constitutum in duplici gravissimo periculo proximo peccandi mortaliter contra castitatem. In quorum primo Deus illum mirabiliter eripuit per instinctum respondentem Donis Spiritus Sancti: In secundo autem ereptus est per gratiam quidem specialem, sed efficientem, ut ipse operaretur juxta leges communes, clamoribus fugando faminam

insidiantem suæ castitati. Sanè ejusmodi proximæ occasionēs, utinam non ita frequentes essent, ob corruptionem naturæ per peccatum, in populo Christiano. Quo circa visum est, illis dissertationibus annectere hanc, veluti appendicem, in qua aliquantò diffusius disseratur de obligatione, & necessitate vitandi occasionem proximam peccandi mortaliter: cui præmittitur sequens Præludium.

PRÆLUDIUM.

DE DECRETIS ECCLESIAE, ET REGULIS

S. Caroli Borromæi, circa occasionem proximam.

S. I.

DECRETA ECCLESIAE.

Alexander VII. in suis Decretis anno 1665. & 666. damnavit illam 41. propositionem.

Non est obligandus concubinarius ad ejiciendum concubinam, si hec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarium, vulgo regalo, dum desiciente illa nimis agre ageret vitam, & alia epule tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

Innocentius XI. per suum De-

cretum anno 1679. damnavit sequentes.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult dimittere; quinimo directe, & ex proposito, querit, aut ei se ingerit.

63. Licetum est querere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

His annectimus alias tres.

58. Non tenemur, confessario interroganti, fateri peccati alicujus consuetudinem.

60 *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesie, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

64 *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Smæ. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

Addidimus has tres, ut Confessarius in promptu habeat, quod debet advertere pro absolutione impertienda.

§. II.

Regulæ Sancti Caroli Borromæi.

3 **R**egulæ, à Sancto Carolo Borromæo traditæ pro instructione Confessariorum, tanta in Ecclesia gaudent authoritate, ut Innocent. XII. Jusserit, denuò Romæ Typis dari, præfixa gravissima Epistola Card. Gasparis Carpegna, sui pro Episcopatu Romano Vicarii, directæ nomine Smi. ad Confessarios Episcopatus Romani, utpote qui debeant aliis Confessariis Orbis Christiani esse exemplo in cura, & recta directione ovium Christi, quæ pro suis abstergendis maculis ad ipsos accedunt in Sancto Tribunali Pœnitentiæ. Habetur hæc Epistola loco ultimo inter monumenta ad calcem reposita tom. 1. Theologiæ dogmaticæ, & moralis Natalis Alexandri in Editione Veneta anno 1705.

4 Regulæ autem latinitate donatæ habentur in eodem tom. tract. de Sacramento Pœnitentiæ, cap. 7. de absolutione, regula 10. fol. 517. ex quo loco illas exscribemus, & sunt hujusmodi,

sequenti ordine exhibitæ à S. Ca rolo.

1 *Nec ii (inquit S. Carolus) possunt absolvi, qui sincerum propositum non habent peccata mortalia, & eorum occasiones fugiendi. Et quia plurimum refert, ut Confessarii clarius hæc intelligant, paulo fufius sunt explicanda.*

2 *Peccati mortalis occasiones vocantur, quidquid ad peccatum inducit, aut ex sua natura, aut ex parte pœnitentis, qui in ea occasione positus ita peccare consuevit, ut probabile sit ex suo pravo habitu illum in eadem peccata lapsurum iri, si in illa occasione perseveret.*

3 *Occasiones porrò, quæ ex natura sua inducunt ad peccatum, istæ sunt: aleatorios ludos profiteri: v.g. chartarum, & taxillarum: domum hunc in finem paratam habere, ac aleatores recipere: domi retinere, aut suo, aut alieno nomine personam, qua cum peccatur; aut alio modo cum ipsa cohabitare. In eadem, conversatione, colloquiis, aspectibus, amorisque impudici significationibus, & incertivis perseverare. Pœnitentem ergo aliqua ex his occasionibus, aut similibus irretitum, si occasio hujusmodi sit præsens, ut retinere concubinam, aut quid simile; non debet Confessarius eum absolvere, nisi prius ab illa occasione re ipsa discesserit, seque separaverit. Quod autem alterius generis occasiones spectat, ut alex professionem, mutuos aspectus, conversationem, nutus impudicos, &c. non absolvatur pœnitens, nisi eas dimittere pollicetur: quod si jam aliàs id pollicitus sit, nec emmendatus fuerit; absolutio tandiu differatur, donec emmendationem perspexerit.*

„ Et

4 „ *Et* quia contingere potest,
 „ ut pœnitens nullo ex mediis, quę
 „ ipsi proponit prudens ac zelo sa-
 „ lutis animarum fervens Confessa-
 „ rius, extricare se possit ab occa-
 „ sione, illamque dimittere, sine pe-
 „ riculo, & scandalo; Confessarius
 „ hæc adhibere debet remedia.

5 Primò absolutionem disse-
 „ rat, donec certa sinceræ emen-
 „ dationis videat indicia. Quod si
 „ absolutionem differre non possit
 „ sine periculo, vel infamia pœni-
 „ tentis, & confessarius talia contri-
 „ tionis in eo signa perspexerit, de-
 „ bitamque ad excipienda remedia
 „ emendationi suæ necessaria dis-
 „ positionem observaverit; debet
 „ illi proponere quæ magis oppor-
 „ tuna, & necessaria videbuntur:
 „ v. g., illi præcipere ne solus cum
 „ tali persona colloquatur, oratio-
 „ nes aliquas, carnisque maceratio-
 „ nes illi præscribere, & frequen-
 „ tẽ in primis confessionem, alia-
 „ que similia: quæ si pœnitens in
 „ se recipiat, Confessarius illum ab-
 „ solvere poterit. Quod si tamen
 „ hac, jam adhibita, aut à se, aut
 „ ab alio confessario, diligentia,
 „ pœnitens emendatus non fuerit;
 „ non absolvatur, donec occasio
 „ illa sublata fuerit, vel agendum
 „ aliter nobis videatur. De quo no-
 „ bis in eo casu, celato personæ
 „ nomine, aliquid significabitur.

6 „ Occasiones peccati mor-
 „ talis secundi generis, sive quæ tales
 „ censentur ex personæ dumtaxat
 „ infirmitate, sunt eæ res, quæ li-
 „ cet in felicitæ sint; prudenter ta-
 „ men judicatur, pœnitentem ea-
 „ rum usu in eadem peccata re-
 „ lapsum iri, si in illis, ut antea, per-
 „ severet. Talia plerisque sunt ho-
 „ die, seculi nostri vitio, bellum,

„ negotiatio, Magistratus, Advo-
 „ catorum, Procuratorumque pro-
 „ fessio, & alia hujusmodi exerci-
 „ tia, in quibus quis sapius mor-
 „ taliter peccare consueverit, blas-
 „ phemiis, furtis, injustitiis, calum-
 „ niis, odiis, fraudibus, perjuriis,
 „ & aliis similibus, ex quibus novit,
 „ quod si in his exercitiis perseve-
 „ ret, eadem illi occurrent peccan-
 „ di occasiones; nec ulla ratio sua-
 „ det adversus peccatum firmiorem
 „ fore, quàm antea: quamobrem
 „ in eadem peccata relapsum iri pru-
 „ denter judicari potest. Ideo, qui
 „ sic affecti sunt, aut debent à
 „ professione ipsis periculosa omni-
 „ no abstinere, (ut ait S. Aug.)
 „ aut certe illam non exercere sine
 „ licentia, & sub moderamine pro-
 „ bi alicujus, prudentisque Sacerdo-
 „ tis; qui non debet absolvere ho-
 „ minem in eo statu constitutum,
 „ cum probabiliter judicat ad ea-
 „ dem peccata reversurum, si in
 „ iisdem occasionibus perseveret; sed
 „ per aliquod tempus emendatio-
 „ nem ejus oportet experiri.

7 „ Qua in re invigilare eo
 „ magis operæ pretium est, quod
 „ Confessariorum in hac parte in-
 „ curia in omnibus artibus, & pro-
 „ fessionibus regnent plures abusus,
 „ gravissimaque peccata, sine qui-
 „ bus non videtur à multis, ne
 „ illustrissimas quidem professiones
 „ exerceri posse.

8 „ Sic, v. g., in Magistra-
 „ tum, & aliorum officiorum, inf-
 „ titutione, ea solemnè sæpe Sacra-
 „ mento promittuntur, quæ num-
 „ quam observantur.

9 „ Apud Juris-Consultos, Ad-
 „ vocatos, & Procuratores, Clie-
 „ tum improbitati, & injustitiæ con-
 „ tra propriam conscientiam servitur,

10 „ In Militia, duello, odiis,
 „ homicidiis, alea, blasphemis, ra-
 „ pinis, & impudicitis peccari solet.

11 „ Mercatores ufuras palam
 „ exercent, pro sinceris fucatas mer-
 „ ces plerumque proponunt, pre-
 „ tiis longe iusto majoribus omnia
 „ vendunt. Frequentia sunt apud eos
 „ perjuria, fraudesque in solvendis
 „ pedagiis, & vectigalibus, alia-
 „ que ab illis peccata committuntur.

12 „ Artifices pluribus festis
 „ diebus, ut alii, laborant; ita ut
 „ vix cultui divino unquam vacent,
 „ & Dei verba audiant, & fami-
 „ liam suam eodem modo tenent
 „ occupatam. Quo fit, ut eorum
 „ plurimi vitam omnem in pecca-
 „ tis mortalibus tradant; qui
 „ proinde absolutionis capaces non
 „ debent æstimari, nisi primum
 „ diligentia omnis adhibeatur, ut
 „ liberentur ab occasionibus, & for-
 „ tiores quam antea reddantur.
 „ Immo Confessarius accuratori ha-
 „ bito examine, forsitan inveniet,
 „ eorum aliquos numquam recte
 „ confessos fuisse. Quod si ita fue-
 „ rit, debet eis suadere, præter
 „ emendationis signa, quæ de-
 „ derint, aut professionis ipsis per-
 „ niciosæ derelictionem, aut genera-
 „ lem confessionem faciant, valen-
 „ tioraque pro sua salute adhibeant
 „ remedia.

13 „ Cautior, ac severior fit
 „ Confessarius necesse est, circa eas
 „ actiones, & exercitia, quæ Reipu-
 „ blicæ inutilia sunt, aut minime
 „ necessaria. Quæ licet ad primam
 „ speciem occasionum ex se, natu-
 „ raque sua homines ad mortale
 „ peccatum inducentium non refe-
 „ rantur, quæ propterea dimitti à
 „ quocumque debent; ad malum
 „ tamen inclinant, & sapissime per-

„ trahunt hominem ad diversa pec-
 „ cata mortalia. Hujusmodi sunt
 „ choreis interesse, cum blasphe-
 „ mis, rixæ deditis, aliisque im-
 „ probis hominibus, sapius versari,
 „ popinas frequentare, indulgere
 „ otio, & id genus alia, quorum
 „ occasione, si homo peccare mor-
 „ taliter consueverit, absolutionem
 „ non debet impertiri, quin his
 „ omnibus renunciet penitens, &
 „ pollicitus fuerit dictam occasio-
 „ nem, re ipsa dimissurum. Si ta-
 „ men spem aliquam de suo peni-
 „ tente Confessarius concepit, se-
 „ mel, iterumque promittentem se
 „ occasionem dimissurum, poterit
 „ absolvere: ea tamen lege, ut
 „ deinceps absolutionem differat,
 „ donec certis, & evidentibus in-
 „ diciis constet, illum ab his occa-
 „ sionibus esse segregatum. Hæc Sanctus Carolus de occasione peccandi:
 „ quibus annectemus, quæ tradit de
 „ consuetudinariis, apud eundem Na-
 „ talem ibidem regula undecima.

14 „ *Differenda* (inquit S. Ca-
 „ rolus) *absolutio*, donec aliqua
 „ emendatio appareat, iis peniten-
 „ tibus, qui licet se peccatum di-
 „ missuros polliceantur; Confessarius
 „ tamen probabiliter iudicat ad illud
 „ reversuros. Cujusmodi sunt præ-
 „ sertim juvenes otio dediti, qui
 „ majorem vitæ suæ partem consu-
 „ munt in ludis, conversationibus,
 „ ebrietatibus, & impudicitis: blas-
 „ phemi, detractores, odiis, tur-
 „ piloquio addicti: qui semel tan-
 „ tum quotannis sub finem Quadra-
 „ gesimæ Sacerdoti se sinitunt ad con-
 „ fessionem: aut qui in eadem pec-
 „ cata frequentius relapsi, in iis à
 „ multis annis perseverarunt, nec
 „ diligentiam ullam adhibuerunt, ut
 „ se emendarent.

Ab his regulis, & solidissima doctrina, ad componendos fidelium mores a deo efficaci, nec latum unguem discedere in hac differ-

tatione cupio. Deus precibus illius Sanctissimi Archiepiscopi hoc prætestet: uti & germanam intelligentiam præfatarum regularum.

QUÆST. I.

DE ESSENTIA OCCASIONIS PROXIMÆ PECCANDI lethaliter: & qualitate malitiæ peccati, orti ex occasione proxima.

ARTICULUS I.

DIFFINITIO OCCASIONIS PROXIMÆ.

§. I.

De causis peccati in generali ex doctrina D. Thoma.

SI primam radicem peccati investigare velimus, invenimus, hanc esse ipsum nihil, à quo ad esse in rerum natura extracta est creatura intellectualis ab omnipotente Deo, qui est ipsum esse subsistens, necessario per suam naturam ab æterno in æternum simul existens; à quo participant esse, quæcumque ipse voluit in tempore esse. Ex quibus, carentia intellectus, sicut non possunt cognoscere Deum, neque in illum dirigere operationes suas, ut in ultimum finem; ita neque illas avertere, aut deviare ab illo; ac proinde neque peccare. Creatura autem intellectualis, sicut Deum cognoscere ut suam primam causam, & ultimum finem, illumque amare super omnia potest, ita ab illo averti, aut deviare potest.

2 Aliter, tamen spiritualis complete, quales sunt Angeli, quorum

natura exigit, ut semel existentes, in æternum durent: neque in principiis operationum suæ naturæ competentium aliquem defectum patiantur: unde neque directe possunt peccare contra ordinem naturæ; quia ut docet S. Doctor 1. p. q. 49. art. 1. malum in actione tantum potest accidere ex defectu alicujus principiorum actionis; at aliter homo compositus ex corpore naturaliter corruptibili: qui, sicut separata anima spirituali, & immortalis, à corpore, definit esse; ita & potest pati defectum in principiis operationum per naturam ipsi competentium. Cujus defectus causas generales exponit S. D. 1. 2. q. 75. docens art. 1, peccati non dari causam per se, sed tantum causam per accidens, quatenus homine directe intendente aliquod bonum, quod apprehendit sibi hic & nunc conveniens, non intendit illud directus à recta ratione, & lege divina.

3 Unde, ut docet art. 2, peccati duplex est causa homini interior:

H

alia

alia immediata, scilicet ratio ad legem divinam non attendens, & voluntas rationi sic non attendenti consentiens. Alia remota, & mediata, apprehensio, scilicet, imaginatio, & appetitus sensitivus per illam regulatus, qui appetens bonum sensibile non conformiter ad rectam rationem, interdum trahit voluntatem, ut consentiat tali appetitui: non quidem necessario motam ab appetitu sensitivo: quia ut dicitur Gen. 4. v. 7. *Sub re erit appetitus ejus* (id est peccati) *& tu dominaveris illius*, per liberum arbitrium: sed aliquando vehementissime, quando bonum sensibile extra existens vehementer allicit, de quo S. D. ibidem art. 3. Et in hac vehementi allicientia consistit periculum, seu occasio proxima peccandi mortaliter, quam vitare tenemur; de ejus diffinitione institutum præsentem articulum.

§. II.

Traditur diffinitio occasionis proxime.

4 **S**I in diffinitione, explicante essentiam, & quiditatem rei, sit defectus aliquis, necessario pululabunt plures alii in assertionibus illatis ex tali diffinitione; tantò nocentiores, quantò major fuerit auctoritas illius, qui illam diffinitionem non recte tradidit. Hoc accidit circa argumentum præsentis dissertationis. Magna est utique auctoritas Sapientissimi Doctoris Martini Azpilcueta, nominati communiter, *Dr. Navarrus*, doctissima Commentaria in Canones Sacros Ecclesiæ relinquens, & doctrinam plerumque solidissimam, in suo Manuali latinitate ab ipso donato. Cæterum quia quandoque bonus dormitat Homerus, non recte processit in illò, cap.

3, dum num. 14. tradidit occasionis proximæ diffinitionem, sequentibus verbis: *Est omnis illa, & sola, qua est peccatum mortale, aut talis occasio peculiaris, qua credit, vel debet credere Confessarius, vel pœnitens, nunquam, vel raro, se usurum, sine peccato mortali.*

5 In qua diffinitione illa particula, *sola*, non fuit rectè posita: utpote ex qua ipse Navarrus in eodem cap. plura intulit Corollaria, quæ, salva semper reverentia magna Navarrò debita, merito rejicit insignis Theologus Fr. Ludovicus Lopez, in *Instructorio Conscientiæ* I. part. cap. 20. & sequentibus, solide probans, quòd, ut aliqua censeatur occasio proxima peccati mortalis, necessario vitanda, non requiritur, quod homo in ea semper peccet, aut tantum raro in ea positus à peccato abstineat: sufficit namque, si, experientia teste, didicerit, se in illa statim, aut quasi statim, cadere; expertus hoc in tribus proximis occasionibus: Quod approbat ex Cajetano in *summa V. periculum*, & Armilla ibidem, sapientissimus Magister Fr. Joannes Martinez de Prado, per 20. annos professor primarius Sacræ Theologiæ in Universitate Complutensi, & sui Collegii S. Thomæ Regens.

6 Approbat etiam ibidem, scilicet tom. 1. Theolog. Moral. cap. 15. quæst. 15. num. 11, rationem, qua Lopez utitur: nempe, quia certitudo moralis ex tribus, vel quatuor casibus sufficienter sumitur. Sicut qui ter promissit, & non implevit; sufficiens indicium dat, moraliter certificans, quod non est fidelis in promissionibus: & qui ter expertus est vini fortitudinem, & sui capitis debilitatem; si iterum

in eadem quantitate vinum sumat, non excusabitur ab ebrietatis peccato. Similiter ergo, si tripa experientia, homo cognoverit talem occasionem, respectu ipsius esse proximam, debet illam vitare, licet aliis hominibus ejusdem status non sit occasio ejusmodi casus. Idem (prosequitur) docet Nuño tom. 2, in 3. p. quæst. 8. art. 4. dub. 4: Candidus disquis. 24. art. 27. conclus. 1.: Sanchez lib. 1. in Decal. quæst. 1. cap. 8.

7 Et videntur hæc confirmari illa observatione Aristotelis lib. 1. de Caelo, apud D. Th. lect. 1. Nempe, ipsa natura duce, congrue nunquam dici, omnes, v. g. omnes homines ambulare; nisi saltem sint tres ambulantes: si namque unus tantum ambulat, dicitur, unus homo ambulat: si autem sunt duo ambulantes, congrue dicitur, ambo ambulant, vel, uterque ambulat; non autem omnes ambulant; hinc inferens, neque in linea, quæ tantum est divisibilis secundum longitudinem, neque in superficie, quæ tantum est divisibilis secundum latitudinem, sed tantum in corpore, quod est divisibile trina divisione, salvam perfectam rationem quantitatis, & de illo tantum verificari, habere omnem divisibilitatem, cum sit etiam divi-

sibile secundum profunditatem. Juxta quæ in jure, tam Canonico, quam Civili, non potest incipere verum Collegium, nisi in illo adsint tres personæ in unum finem honestum congregatæ: quia sine tribus nulla datur sufficientia ad ea, quæ requiritur vita humana.

8 Quo circa, licet plures, quos idem Prado citat num. 12, amplectantur doctrinam Navarri in hoc puncto; modus dicendi Thomistarum (inquit Prado) merito est preferendus. Sed in particulari non possunt casus cervis regulis diffiniri, sed prudentium arbitrio remitti: quia quod secundum se est remota occasio, in his circumstantiis, & una sola circumstantia variata, erit occasio proxima. Huic verissimæ, ac prudentissimæ doctrinæ libenter acquiesco. Et ex illa poterit formari recta definitio occasionis proximæ peccandi mortaliter, quæ, prudenter applicata, verificetur de omnibus casibus, in quibus hic & nunc fuerit occasio proxima necessario vitanda. Proponitur autem sub sequentibus verbis: Est illa, quæ ex se est peccatum mortale, aut talis occasio particularis, in qua Confessarius, aut penitens ex sua experientia, & fragilitate, credere debet in illa constitutum statim, aut quasi statim, esse lapsurum in peccatum mortale.

ARTICULUS II.

UTRUM INGERI, AUT MANERE IN OCCASIONE PROXIMA peccandi mortaliter, ex se inficiatur speciali malitia, distincta ab illa, cujus periculo exponitur homo?

§. I.

Aliquibus suppositis, proponuntur rationes dubitandi pro parte negativa.

I Certum est, hominem sic voluntarie constitutum, infi-

ci illa malitia, cujus periculo se exponit. Unde P. Dominicus Viva Societ. Jesu, in opere inscripto, Damnatæ Theses super 41. damnatam ab Alex. VII. num. 4. illud Ecclesiast.

3. qui amat periculum, peribit in illo, cum communi exponit, ad hunc sensum, quod, amans periculum non perent per illud, sed in illo, quia ipse amor periculi peccatum est: adeo, ut etiam si non sequatur executio peccati, homo teneatur confiteri omnes circumstantias peccati, cujus periculo se exposuit.

2. Quibus positis, supervacua forsitan alicui videatur præsens quaestio, & ad summum utilis pro speculativo exercitio scholæ. Verum utilem, etiam ad praxim esse, contabit, ut arbitror, ex dicendis, maxime in art. 4. Sed ut clariori methodo procedamus, oportet præmittere aliquot rationes dubitandi pro parte negativa.

3. 1. Licet omisio orationis ad impetrandam gratiam, cujus auxilio vitetur peccatum hic & nunc imminens, sit peccatum, si tamen tunc non initet præceptum orandi ex motivo Religionis, illa omisio non inficitur speciali malitia necessario confitenda; quia oratio tantum est necessaria ad vitandum peccatum imminens: sed ingeri aut manere in periculo proximo peccati, ideo est peccatum, quia sequetur peccatum: ergo non inficitur speciali malitia. 2. Si quis ob studium omittat auditionem Missæ in die præcepti, studium est peccatum, sed non speciali malitia infectum, distincta à malitia omisionis Missæ: ergo pariter. 3. In omni peccato mortali est malitia imprudentiæ, & in obedientiæ; & tamen non in omni peccato est specifica malitia imprudentiæ, aut inobedientiæ:

ergo pariter.

§. II.

CONCLUSIO.

DATUR MALITIA SPECIALIS.

4. Ita Cajetanus in Summula V. Periculum num. 2. ubi sic inquit: *Si sine urgenti necessitate fit, ad incautela peccatum spectat. Non est autem ex genere suo mortale.* Erit autem mortale, si peccatum, cujus periculo se exponit, sit mortale: sicut de negligentia docet D. Th. 2. 2. *quæst. 54. art. 3.*, si ex negligentia oriatur peccatum mortale: & de temeritate, & præcipatione *quæst. 53. art. 3.* Consonat S. D. *Quodlib. 3. art. 9. in solut. ad 3.* ubi: *Quicumque (inquit) non cavet pericula, videtur contemnere id, cujus detrimentum pericula inducere possunt :: Et ideo quod spiritualibus se exponat, est valde vituperabile.* Et art. 17. multa his consona tradit.

5. Ratione probatur 1. In scandalo activo, dicto, scilicet, aut facto, ruinam spiritualem proximo afferente, datur malitia specifica in Confessione aperienda, etiam si directe non intendatur hæc ruina, ut bene Mag. Prado loco proxime citato: sed constituens se voluntarie in occasione proxima scandalum præbet sibi, juxta illam sententiam Domini; *si oculus tuus scandalizat te: & quantum ad spiritualia necessaria ad salutem plus tenetur amare se, quam proximum, & à se repellere ruinam spiritualem: ergo &c.*

6. Explicatur, doctrina, quam tradit Rmus. P. Mag. Fr. Joannes de Aliaga, (post Primariam Cathedralis Salmanticensis, in Supremo S. Inquisitionis Senatu Inquisitor, & in Philosophicis doctrinis meus

meus Colendissimus Præceptor) tom. 1. de Moralitate, Dub. 8. §. 7. ubi bene cum D. Th. statuit hanc differentiam inter bonitatem & malitiam moralem: quod, ut actus, vel ex objecto, vel ex circumstantiis hauriat bonitatem, requiritur, hanc directè esse volitam, saltem exercitè; ut accidit in intentione & duratione actus: sed ut hauriat malitiam, sufficit esse indirectè, & interpretative volitam. Quod accidit, quando fuit prævisa, vel debuit prævideri, licet propter ignorantiam vincibilem, & peccaminosam defecto non fuerit prævisa. Quæ doctrina, quantum ad malitiam, est expressa in D. Th. 1. 2. quæst. 6. art. 3, dum salvat exercitium voluntarium, & imputabile, absque ullo actu etiam intellectus.

7 Secundo probatur. Quando in actu sunt distinctæ oppositiones ad rectam rationem, sunt in illo distinctæ malitiæ; sed in voluntaria permanentia in periculo proximo peccandi, est oppositio ad rectam rationem distincta ab illa, quæ est in ipso peccato, cujus periculo homo se exposuit: ergo &c. Major sæpe traditur à D. Th., & exprimit genuinum sensum S. D. in illa sententia, quam tradit 2. 2. quæst. 53. art. 2. ad 3. *Quando corruptio diversarum circumstantiarum habet idem motivum, non diversificantur peccati species. Sed si sint diversa motiva, tunc essent diverse species.* Quæ sententia (quod valde mirabile est, & ejus humilitatem, ac modestiam manifestat) tantum negotium facessivit sapientissimo, ac ingeniosissimo Cajetano, ut ibi §. In resp. ad 3. excitans dubium, dixerit, quod *mallet audire, quam dicere.*

8 Minor autem probatur ex doctrina S. D. in art. proximo laudatò. Ubi inquirens: *Utrum imprudentia sit*

speciale peccatum? affirmative resp., quia opponitur rectæ rationi, aliquando ex inconsideratione, aliquando ex negligentia attendendi ad ea, quæ necessaria sunt ad salutem, aliquando ex temeritate, & præcipitatione, aliquando ex incontantia, & recessu ab his, quæ prius rectè judicata fuerant: de quibus in particulari agit in sequentibus art.: peccatum autem, cujus periculo per imprudentiam homo se exposuit, aliis modis solet opponi rectæ rationi.

9 Ad objecta resp. Ad 1. non defunt graves Authores, qui cum Mag. Joann. à S. Thom. 2. 2. disp. 20. art. 3. apud Mag. Prado tom. 2. Theolog. Mor. cap. 30. quæst. 4. de Oratione §. 4. num. 5. & 6, asserant, in illo casu dari duo peccata: alterum ex defectu orationis pro auxilio ad vitandum id, ad quod urget tentatio; alterum succumbendo tentationi: & in hac sententia non urget argumentum. Stando autem sententiæ, quam cum Aragon, & aliis tenet Mag. Prado loco citato num. 6. asserens, omissionem orationis in illo casu non esse speciale peccatum, quia tunc non obligat ratione proprii motivi Religionis, sed ratione tentationis urgentis ad peccatum contra aliam virtutem: stando, inquam, huic sententiæ, resp. neg. conseq. Disparitas est, quia in casu defectus orationis nullus datur actus positivus infectus malitiâ, præter peccatum, ad quod urget tentatio: sed in eo, quod homo voluntarie se ingerat periculo proximo peccandi mortaliter, plura adsunt infecta malitiâ imprudentiæ, & scandali contra charitatem propriam. Unde si in homine detur impotentia, vel Phisica, vel moralis, vitandi illam occasionem, ex hoc cap. non erit pec-

catum, de quo postea. Notetur tamen cum ipso Mag. à S. Thoma, & Prado, in nulla sententia, teneri pœnitentem confiteri omissionem orationis; quia confitendo peccatum contra castitatem v. g. satis exprimit Confessario, se non orasset nam si orasset cum quatuor conditionibus assignatis 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. *ad* 2. & toto *art.* 16, proculdubio impetrasset auxilium, quo vitaret peccatum contra castitatem.

10 Ad 2. negatur consequentia: quia in illo studio nulla datur oppositio ad rectam rationem, præter causalitatem in omissionem Missæ.

11 Ad 3. quantum ad peccatum imprudentiæ, satis dictum est, ibi adesse posse ex pluribus capitibus, ut vidimus ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 53. Quantum ad inobedientiam autem, dicimus ex S. D. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 2. *ad* 1, in eodem actu posse inveniri distinctas species malitiæ, sicut & bonitatis; ut si miles ex motivo obediendi Regi, custodiat castrum, sibi commissum, & simul illud fortiter custodiat; in illo actu custodiæ esset duplex bonitas moralis, alia obedi-

tiæ, alia fortitudinis: & ab opposito duplex malitia formalis, si traderet castrum hostibus, ex contemptu mandati Regis, seu positive intendendo non subijci ejus mandato.

12 Juxta quæ ad 3. respondetur, in omni peccato dari malitiam inobedientiæ materialis, sed sufficienter insufficientis actum, juxta dicta ex Rmo. Aliaga; non autem in omni peccato datur malitia inobedientiæ formalis, necessario explicanda in confessione; quæ, ut S. D. tradit 2. 2. q. 189. *art.* 3, tunc datur, quando voluntas renuit subijci ordinationi legis, vel legitimi superioris stricte præcipientis.

13 Ex dictis infertur. 1. existentem in occasione proxima peccandi mortaliter, quam potest fugere absque injuria alterius, esse in statu peccati mortalis habitualis. 2. in confessione peccatorum, quæ commiserit existens in illa occasione, debere ultra malitiam specificam peccati commissi, v. g. incestus, confiteri malitias, in quas incurrit ex occasione proxima, à nobis expositas à n. 5. sufficere dicere, incestum v. g. commississe, dum esset in occasione proxima committendi tale peccatum.

QUÆSTIO II.

DE DIVISIONE, IN VOLUNTARIAM, AC IMPUTABILEM, & INVOLUNTARIAM.

Doctores communiter dividunt occasionem proximam peccandi mortaliter, in voluntariam, & subiecto imputabilem, quam proinde necessario debeat vitare; & involuntariam. Quæ rursus dividitur in phisice necessariam, qualis est illa, in qua incarceratus existens, habens juxta se, vel in loco carceris, ad quem facile

possit accedere, faminam, cum qua peccet: alia moraliter necessaria, de qua graves insurgunt quæstiones, in quibus non omnes DD. idem sentiunt: aliquibus opinantibus esse involuntariam moraliter, & non necessario vitandam, aliis autem oppositum sentientibus, de quo in præsentis quæstione per aliquot articulos.

ARTICULUS I. GRAVISSIMUS.

UTRUM AD VITANDUM MALUM, SEU DAM-
num valde magnum, & grave temporale, liceat ingeri,
vel manere in periculo, & occasione proxima,
peccandi mortaliter?

§. I.

REFERUNTUR SENTENTIÆ.

HÆC quæstio gravissima effec-
ta est, si quæ alia in Theo-
logia practica, & Morali, cum ob
authoritatem DD. parti affirmativæ
adherentium ante, & etiam post
propositiones damnatas ab Alex. VII.
& Innocenc. XI, positas in prælu-
dio §. I. tum, quia est materia fre-
quentissima in populo Christiano:
ex cujus recta resolutione pendere
potest salus æterna plurium, & glo-
ria Dei in illis. Tractanda igitur à
nobis est, pacifice quidem, & om-
ni honore servato AA. aliter sen-
tientibus, exclusaque omni nota;
sed ad pondus Sanctuarii cuncta ex-
pendendo, quantum tenuitas mea
valuerit, & Deus dederit.

2 Prius autem oportet, di-
versas opiniones referre. Navarrus in
Manuali Latino cap. 3. num. 15. affir-
mat; sed limitando, dummodo ad-
sint quatuor sequentes conditiones:
Vera penitentia præcedentium peccato-
rum, propositum non peccandi in illa
occasione, rationabilis causa illam
adeundi, aut in ea permanendi, & cre-
dulas, quod, Deo adjuvante, in ea
non peccabit. Card. de Lugo de Pœni-
tentia disp. 14. num. 152. etiam affir-
mat, dum certo imminet valde grave
damnum in bonis fortuna, corporis, &

fama. Debet tamen (inquit) adhibere
alia remedia faciliora, quæ potest: illa
nempe, quæ disp. 15. injungit con-
suetudinario, & præcipue frequen-
tiam Sacramentorum: asserens hanc
opinionem esse communem. Et num.
56. illam extendens, per se loquen-
do (inquit) ad illum qui in illa fre-
quenter peccat; licet num. 160. dicat,
per accidens posse Confessarium sic
frequenter peccantem non absolve-
re, quia ex tali frequentia prudent-
ter judicat, non accedere cum ve-
ro proposito ulterius non peccandi.

3 P. Dominicus Viva, Soc.
Jesu, in supra laudato opere Dam-
nata Theses, in expositione illius 41.
damnatae per Alex. VII.: Non est
obligandus concubinarium ad eiciendam
concubinam, si hæc nimis utilis esset ad
oblectamentum concubinarium, vulgo re-
galo, dum, deficiente illa, nimis agre
ageret vitam, alia epula radio magno
concubinarium assicerent, & alia famu-
la nimis difficile inveniretur. Ubi hac
occasione late disserit de præsentis
quæstione, simul exponens, in quo
sensu damnatae sunt, præfata pro-
positio, & aliæ tres de occasione
proxima per Innoc. XI.

4 Pro resolutione distinguit
duplex damnum temporale: aliud
leve, aut non valde magnum, asse-
rens de hoc procedere damnatio-
nem præfatae propositionis 41. con-

tra Joann. Sancium in Editione suarum selectarum Venetiis 1639., & Lugduni 1646., in qua cap. 10. num. 9. addidit num. 20. sequentem causalem: *Quia oblectamentum in dictis circumstantiis consideratum est majoris aestimationis, quam quodcumque bonum temporale.* In Editione Matrit. 1624. non invenitur talis propositio. Hic vir fuit utique litteratus, sed liberrimus: ejusque praefatus liber prohibitus, donec expurgeretur à Sacra Congreg. Indicis anno 1646. die 18. Decemb.: & hoc decretum publicatum est Matriti anno 1647. ab Illmo. Nuncio Apost., Regio Senatu non contradicente, ut ex Thoma Hurtado tract. 1. cap. 5. num. 88. ait M. Prado tom. 1. Mor. quest. 15. num. 24.

5 Sed, ut ad P. Viva, praefatam opinionem, limitatam ad valde magnum malum temporale nedum tenentem, verum ut certam, & communem, proponentem, revertamur; num. 2. sic ait: *Hujusmodi autem valde grave incommodum censetur esse, v. g., si vita discrimini evidenti esset exponenda: si viro honorato incurrenda esset gravis infamia: si familia honesta ad mendicitatem esset redigenda: & num. 3., quod sit mortis, vel miseria proximum: & num. 9. cum Mendo, si mutuatis (inquit) concubina ducentis aureis, quos, illa ejecta, non posset recuperare, & hinc constitueretur in extrema necessitate, cui non posset alia via occurrere; posse illam retinere.* Quod etiam concedit num. 14., casu, quo, ejecta concubina, ex nimio tædio epularum ab aliis confectarum constitueretur in extrema necessitate.

6 Sed num. 4. hæc temperaverat, injungens constituto in tali occasione proxima medicinas spirituales, quibus munitus à peccato

liberetur, etiam existens in illa occasione: nempe, orationibus, jeuniis, frequentatione Sacramentorum, & aliis mediis spiritualibus, quibus illud periculum, seu occasio, reddetur tantum materialiter, & non formaliter proxima peccandi mortaliter. Et ad hæc exequenda (inquit in fine num. 13.) tenebitur rigurose sic existens in occasione: *Aliiter etiam cum periculo vita, periculum peccandi fugiendum est,* (inquit) sicut ad finem num. 20.: *Si moraliter esset certum, se peccaturum,* (ingrediendo domum concubinae jam ejectæ ad petendum aureos ipsi mutuatos) *teneretur mortem ipsam præeligere, quam se ponere in hac morali certitudine peccandi* num. autem 115. asserit contra Mendum, Govat, & Caramuel, quod si æque probabile est, te in tali occasione peccaturum, aut non peccaturum; teneris ab illa occasione abstinere, & tantum posse in illa manere, si probabilius sit, te non peccaturum. Addit tamen, majorem causam exigi, & majoribus spiritualibus medicinis debere hominem præmuniri, quando periculum est certum, ac quando utrinque est probabile. Hæc est opinio P. Viva, & sic ab eo explicata, & limitata.

7 Pro ejus autem probatione non affert rationem fillogistice sub uno numero formatam; quam nos ex enunciatis ab ipso num. 2. & 4., sic formamus. Periculum proximum peccandi, secundum se consideratum, non est peccatum, ut est evidens, cum in illo nihil cogitando possit constitui homo, qui vigilantissime curat de sua salute æterna, sed solum est proxima dispositio ad peccandum: sed hanc dispositionem non tenetur homo vitare, si hinc incurrat

currat in valde grave incommodum aliquod ex supra assignatis : ergo. Probat min. sic : nemo tenetur ad, sive phisice, sive moraliter, impossibile, quia impossibilitas moralis, vera, & absoluta est impossibilitas; sed homo est moraliter impotens deserere illud periculum proximum peccandi, quando ex ejus desertione incurrit in illud valde grave incommodum : ergo. Majorem relinquit ut certam, sine alia probatione. Minorem autem probat illa propositione enuntiata ab ipso num. 2. sic : illud, quod vires humanas superat, est moraliter impossibile; sed hominem subire illud admodum grave incommodum superat vires humanas : ergo. Hæc est ejus ratio probativa, nec minimo aliquo ex ejus nervis detracto, aut dissimulato, ut patebit legenti num. 2. & 4. & omnia alia ab ipso ibi exhibita : & per illam, suam opinionem proponit num. 5. ut certam in quo, an nimis excesserit, aliorum esto judicium.

8 P. Lacroix de hac quaestione agens lib. 5. quest. 45. §. 9. num. 261, afferens fundamenta utriusque sententiæ cum AA. pro illis stantibus, sic inquit : *Hæc secunda sententia* (scilicet negativa, pro qua citat Cajetanum, Lopez, Cardenas, & alios) *admodum rigida est; sed videtur vera. Et quamvis pro opposita stent AA. plurimi; plerique scripserunt ante damnationes variarum propositionum, quæ huic materie magnam lucem attulerunt. Unde hæc secunda sententia potest confirmari ex damnatione propositionis 41. ab Alex. VII. ex qua grave argumentum format pro illa 2. sententia, quo nos etiam utemur. Addit tamen: Qui primam benigniorem sententiam volens defendere,*

legat vindicias P. Gobat. part. 2. prop. 2. Lacroix autem scripserit ante P. Viva, videtur constare : quia ipsi collata est licentia à Provinciali Provinciæ Rhæni inferioris 24. Februar. 1707 : & P. Viva à Provinciali Neapolitano 18. Augusti 1708. sed ambo scripsere post decreta Alex. VII. & Innocenc. XI.

9 Illam sententiam, quam Lacroix dicit admodum rigidam, sed videri veram; absolute ut veram defendit, & efficacibus rationibus fundat, Sap. Mag. Fr. Joannes Martinez de Prado, Primarius Complutensis tom. 1., edito Compluti, anno 1654. ante decreta Alex. VII. & Innoc. XI., cap. 15. quest. 15. §. 3. à num. 14., citans pro illa, ultra citatos à Lacroix, Medinam, Nuñum, Valle de Moura, Hurtado, Mendoza : cum quibus fit nostra Conclusio communis in nostra Schola.

§. II.

CONCLUSIO.

Ad vitandum malum temporale, quantumcunque grave, non licet ingeri, aut manere in occasione proxima peccandi mortaliter.

10 **P**ROBATUR 1. argumento, quod, ut innumus n. 8, pro nostra sententia format Lacroix ex prop. 41. damnata per Alex. VII. Quod sic formatur. Retentio concubinæ, secundum se considerata, non est peccatum, sed tantum est dispositio proxima peccandi; & tamen est obligatio illam removendi, quamvis ex hac remotione sequeretur concubinarium nimis ægre agere vitam, &c. prout declaravit Ecclesia : ergo non licet ingeri, aut manere in occasione

proxima peccandi mortaliter, etiam si ex vitatione hujus occasionis sequatur incommodum, aut damnum temporale, etiam valde magnum; quale est proximum morti, aut miseria. Probatur consequenter. Judicio Medicorum, agere aegre vitam, comedere cum tædio epulas, non à tali fæmina, nimis amata, confectas, & similes passiones animi, ex se natae sunt causare graves morbos; hypocondriæ, mania, epilepsia, tabis, qui ex se ducunt ad mortem. Unde 2. *Regum* 13. de Ammone filio David legitur, vesano amore suæ sororis ita captum, ut aegrotaret, & macie attenuaretur in dies: ergo si, hoc non obtante, Ecclesia præcipit, concubinam, ex cujus ejectione hæc sequerentur, omnino fugari; periculum mortis, aut miseria, non excussat à permanentia in occasione proxima peccandi mortaliter.

II Sane inspectis omnibus à P. Viva traditis, & supra exhibitis, profusus me latet, quid respondere possit ad hoc argumentum: neque qualiter salvari possit justificatio censuræ latae ab Alex. VII. illi propositioni. Sed non me latet sententia, quam memini legisse in Præexc. S. Parente Augustino, in libris contra Academicos; nempe, quantumcumque in disputatione urgeatur argumentum; si ex adverso disputanti non desit ingenium, non defuturum ipsi, quid respondeat: immo quid in contra ingeniosse reponat. Ingenium autem P. Viva satis patefcit.

12 Eodem argumento videtur factis efficaciter impugnari illa alia propositio, qua asseruit, non teneri ejicere concubinam, cui mutavit 200. aureos, quos, illa eiec-

ta, recuperare non posset, & hinc incideret in necessitatem extremam. Nam illi morbi, qui ex passionibus animi, ejecta concubina, oriri solent, æquipollent, aut excedunt, quantum ad gravitatem incommodi, necessitatem extremam; cum huic, uti & mortem inferenti, variis mediis soleat occurrere ille, qui pascit passerem non ferentes, neque metentes; morbis autem ex hypocondria, & passionibus animi ortis, raro medici occurrant, sed regulariter inferant mortem.

S. III.

Probatur ex sententiis Domini, ut intellectis à Patribus.

13 **J**uxta rectum ordinem charitatis plus debet homo diligere Deum, quam se ipsum, ut est certissimum, & exponit D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 3.: Ergo tenetur fugere occasionem, in qua agnoscit, vel ex ejus qualitate, vel ex experientia, statim, aut quasi statim, casurum in peccatum mortale (si sine peccato potest illam vitare,) etiam si ex desertione illius occasionis agnoscat, sibi eventurum incommodum temporale, etiam valde magnum. Probatur consequentia. Si non fugit illam occasionem ob timorem incurrendi in illud malum, valde magnum, convincitur, magis amare bonum temporale, cui opponitur illud malum, quam Deum, quem offendit graviter, illam occasionem non fugiendo: ergo magis amat illud bonum temporale, quam Deum. Antecedens est certum, & demonstratur à D. Thoma 1. 2. *quæst.* 25. *art.* 2.: *Quia enim* (inquit) *bonum queritur, ideo refutatur oppositum malum.* Consequentia autem legitime

infertur ex eadem doctrina. Quod Dominus expressit Matth. 6. v. 24, dum dixit: Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diligit: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ: id est, divitiis, & cuilibet creato, amato contra legem Dei.

14 Et in hoc sensu ibidem cap. 5. v. 29. docuerat: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Et cap. 18. v. 8.: Si manus tua, vel per tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te &c.

15 In quibus juxta communem intelligentiam SS. DD. Dominus non præcipit abscisionem materiale membrorum corporis: sed, ut bene exponit Chrysofost. hom. 17. in cap. 5. Matth., præcipit nos separari ab his, quæ maxime amamus, si nobis sunt causæ ruinæ spiritualis. Quam igitur (inquit) ob causam dextrum oculum posuit, & manum adjecit? ut, scilicet, disceres non de membris esse sermonem, sed de his potius, qui nobis familiaritate junguntur. Et si igitur tantum aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris vice: aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut eum dextræ manus ducas loco: & hi tamen anima tuæ fortassis incommodent; etiam istos à te, inquit, abscinde: Non dixit à talium societate discede; sed maximam separationem indicens, erue, inquit, ac projice abs te. Deinde quia satis severe

præceperat, lucrum ex utroque ostendit: Ut autem manifestius commodum istius legis aspicias, etiam in corpore exempli gratia requiramus. Si enim daretur electio, unumque esset necessarium de duobus, videlicet, aut cum duobus oculis in foveam ruere, atque ibidem deperire, aut etiam absque uno oculo reliquum salvare corpus; putas ne è duobus suscipere non malles secundum? non enim hoc esset odientis oculum, sed corpus reliquum diligentis. Hæc Chrysofostomus apertissime pro nostra sententia: quæ SS. DD., eodem spiritu acti, tradunt apud D. Th. ibidem in Catena.

16 Ne autem admodum rigida censeatur nostra sententia, sed potius simpliciter benignior reputetur, audiatur idem Chrysofostomus ibidem sic subdens: Vidisti, quanta lenitate Christi lex plena sit, & sollicitudine: & quæ à pluribus nimis severitatis putatur, quantum erga homines pietatis ostendat? Audiant ista, qui sæpius ad theatrum festinant, & sequæ ibi pene quotidie adulterii obscenitate commaculant. Si enim familiaritate devinctum; si propinqua sit, si aliqua necessitudine copulata, (ut antea dixerat) sed scandalizantem tamen; abscindi, atque abjici jubet. Qua tandem poterunt satisfactione defendi, qui nondum sibi cognitos per conversationem, & moram, quam ibi trahunt, quotidie comparant, ac mille sibi occasiones perditionis ministrant?

17 In quibus S. Doctor comprehendit omnes occasiones peccandi in quacumque materia. Omnes enim originem trahunt ex aliquo inordinato amore hominis ad aliquod bonum temporale, ad quod ita afficitur, ut agat id, quo lex Dei frangitur, & Deus graviter offenditur: ac proinde jam Deus ab illo homi-

ne non habeatur ut Dominus, & ultimus finis ejus, sed Diabolus, quem, licet non amet actu expresse elicitō, sustinet tamen contempnens Deum, ut D. Th. exponit illa verba Matth. 6. v. 24. *Unum sustinebit, & alterum contemnet.*

18 Alio exemplo posset doctrina à Domino tradita, & à Chrysolostomo explicata, manifestari. Si Nauclerus certo asserat, navem esse sumergendam, si cunctæ merces eam gravantes non projiciantur in mare; dominus autem illarum considerans, se ex illis divitem, in sua patria honoratum, gaudentem, & honesta familia stipatum esse futurum; ejectis autem mercibus in mare, vitam quidem servaturum, sed deinceps se cum sua familia vitam valde miseram ducturum, coactum ad mendicitatem: hæc autem perpendens, ut fugeret hoc valde magnum incommodum miseræ, & mendicitatis, eligeret potius exponi sumersioni navis, & mortis, quam ejectionem mercium in mare: in hac hypothesi, quid censeretur, hunc hominem plus amare vitam ne? an merces, & commoda ipsi ex illis resultantia? non dubito, quin omnes censeant, plus amare merces, quam vitam. Ergo similiter convincetur homo, se plus amare commodum temporale, quam Deum, & ejus gratiam, & amicitiam; dum præligit adire, aut permanere in periculo proximo peccandi mortaliter, ne incidat in incommodum valde grave temporale, seu, quod idem est, ne amittat commodum magnum temporale.

19 Dices: etiam P. Viva citare pro suis assertis num. 3. illam sententiam Matth. 18.: *Melius enim est in vitam ingredi debilem, vel clau-*

dum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum: & num. 8. illam ibidem: Si oculus tuus &c., & num. 11. illam Matth. 16. v. 25.: Quid enim prodest homini, si universum mundum lucratur, anima vero sue detrimentum patiatur?

20 De his valde gaudemus, & complacemus: sumus enim confervi ejusdem Domini, in ejus gloriam, & salutem animarum servientes in Ecclesia Dei. Utinam illas Domini sententias extendisset ad omne bonum, & omne malum temporale; & amantibus illud, & timentibus damnum valde magnum temporale, proposuisset totam illam sententiam Domini Matth. 16. v. 25. & 26. dum dicit: *Qui enim vult animam suam salvam facere, (idest vitam corporalem servare, etiam cum peccato mortali) perdet eam. Qui enim perderit animam suam propter me, (idest vitam corporalem amiserit, ne me offendat) inveniet eam. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucratur, anima vero sue detrimentum patiatur? Quæ exponens Chrysolostomus hom. 56., inter alia sic inquit nomine Domini: *Necesse est, ut ad mortem semper expediti sitis: bellum enim grave indicitur: quare noli domi sedere, sed expeditus ad pugnam egrediaris: & si cecideris in acie, vicisti.* Ergo cum ex ipso P. Viva num. 4. jam viderimus, statui, aut manere, in periculo proximo peccandi mortaliter esse peccatum mortale, etiam cum periculo vite debemus tale periculum vitare.*



§. IV.

Impugnatur solutio, qua ex doctrina P. Viva posset adhiberi: & hujus occasione dicitur de orationibus, quas injungit.

21 **A**D hoc argumentum ex doctrina P. Viva forsitan dicitur, procedere, & efficaciter probare, quando periculum proximum peccandi mortaliter est formaliter proximum; non autem si sit remotum formaliter, & tantum materialiter proximum. Tale autem esse, quando homo videns se in illo periculo, munit se contra casum medicinis spiritualibus, orationibus, nempe, corporis macerationibus, lectione librorum spiritualium, & aliis.

22 Sed contra est. Licet, stando sententiæ D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. ad 2. & toto art. 16., sit infallibilis efficacia orationis elicite cum his quatuor conditionibus, scilicet, pro se, pie (id est, ordinata ad pietatem) perseveranter, & circa necessaria ad salutem, quale est non peccare mortaliter; tamen oratio fusa à voluntarie adeunte periculum proximum peccandi, aut in illo manenti, non esset impetratoria gratiæ ad vitandum peccatum mortale, in cujus periculo proximo ponitur: ergo periculum maneret in sua natura, tamquam formale, & proximum, connexumque cum peccato mortali. Consequentia est bona, quia inter medicinas spirituales ad vitandum peccatum præcipua est oratio fusa cum debitis conditionibus, ut constat ex Trident. sess. 6. cap. 11. Antecedens autem probatur. Illa oratio non funderetur piè, sed præsumptuosè, quantumcumque Confessarius illam injungens

judicaret pie fundendam, & ipse orans, sic etiam judicaret, se pie orare. Probatur anteced. Illa oratio in his circumstantiis potius esset tentatio Dei: ergo non funderetur piè, nec esset impetratoria. Quod methodo Scholastica inferimus, deducendo ad inconueniens; nullo autem modo censura inurendo opinionem, quæ in his circumstantiis ad orationem recurrit.

23 Antecedens probatur doctrina D. Thom. 2. 2. quest. 97. art. 1., ubi ita habet: *Quasi interpretative Deum tentat, qui, etsi non intendat experimentum de Deo sumere; aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est utile :: Unde super illud Deuter. 6. non tentabis Dominum Deum tuum, dicit Glossa: Deum tentat, qui habens quid faciat, exponit se periculo, experiendo, utrum possit liberari à Deo. Et ad hunc modum tentandi Deum excitabat Diabolus Christum, dum positum super pinnaculum templi, dixit Matth. 4. v. 6.: *sã filius Dei es, mitte te deorsum. Cui Dominus oblitit laudata sententia Deuter. 6. Poterat namque ex illa altitudine descendere per gradus. Nunc sic; sed homo posset vitare peccatum mortale, fugiendo ab illo periculo, & occasione proxima: ergo manens in illa, & confidens vitare peccatum per orationem, tentat Deum.**

24 Ex doctrina P. Viva posset assignari disparitas; quia Christus gaudebat potentia, & phisica, & morali, descendendi per gradus: sed homo timens ex desertione occasionis proxime incommodum valde grave temporale, caret potentia morali quia subire tale damnum; superat vires humanas. Sed hoc fusè impugnabitur, §. sequenti.

Nunc

25 Nunc reflectendo ad proximè dicta, dicimus, confessarium utiliùs, & fructuosius cum penitente acturum, si illi injungeret orationes, & alias medicinas spirituales, ut à Deo impetraret gratiam, qua robor, & valorem acciperet, ut à tali occasione proxima fugeret. Quod utique impetraret, si orationem funderet cum quatuor præfatis conditionibus; quantumcunque ipsi impossibile videretur, si ipse impedimentum non apponeret. Talem namque desertionem occasionis proxima: Deus rigorose jubet: Et ut docet Trident. sess. 6. cap. 11, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Cui sententiæ præluxerat S. Jacobus Apoll. in sua *Epist. Cathol. cap. 1.* dicens: *Si quis vestrum indiget sapientia (illa utique, quæ nobis necessaria est ad salutem æternam) postulet à Deo, qui dat omnibus affluentèr, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hesitant.*

26 Non me latet, posse accidere, hominem constitutum in occasione proxima peccandi mortaliter, adhibitis orationibus, & aliis medicinis spiritualibus, aliquandiu abstinere à novo peccato mortali in illa materia, in cujus proximo periculo est positus.

27 Sed hoc ex astutia Dæmonis provenire, ut hominem securum teneat, graviter demonstravit S. Joann. Climacus, vir proculdubio valde spiritualis, in sua *Scala Spirituali* (quam V. P. M. Fr. Ludovicus Granatenfis, nostræ Hispaniæ familiarem fecit, fidelissima translatione) gradu 15., ubi sic habet: *Somnum vulpes simulat, ut avem fat-*

*lat: Dæmon vero & corporis pudicitiam fingit, ut animam perimat. Ne credideris in vita tua luto carnis tuæ, neque tibi ipsi omnino fidas, donec Christo Domino obviam pergas. Neque quia abstinentia exercearis, debes fidere; quia ille, qui è Cælo projectus est in Infernum, nihil unquam comedit. Hæc S. Climacus, latissime profèquens, adducendo aliquos, qui cum feminis conversantes non fuerunt tentati; in solitudine autem postea ceciderunt. Sicut namque Diabolus, permittente Deo, potest adeo commovere spiritus officio naturæ deservientes, ut homo sustinere non possit, & tandem cadat, si speciali gratia à Deo non adjuvetur; ita, Deo etiam permittente, potest, applicando activa passivis, omnem libidinosum motum impedire, etiam ad conspectum speciosæ fæminæ, quam homo antea nimis libidinosè concupierat: ut ita fallatur, & cum falsa securitate cum ea inhabitet, fretus juniis, & precibus sibi injectis: virus autem tunc erumpat, quando Diabolus viderit, ad perditionem animæ illius expedire. Fundantur ergo orationes humiliter ad Deum; adhibeantur spirituales medicinæ, ab existente in occasione proxima, quando illam non potest phisice, aut moraliter vitare, juxta infra dicenda: ille autem, qui potest illam vitare, orationibus instet apud Deum, ut impetret ab illo robor, ut illam fugiat. Videatur V. Granatenfis in *Silva locorum**

verbo. *Tentatio, quæ est via ad peccatum.*

* * * * *

S. V.

Impugnatur ratio, qua P. Viva, ut vidimus, probat suam opinionem, ex gravissimo inconuenienti.

28 **D**UM P. Viva ait, superare vires humanas, subire illud incommodum valde magnum temporale; nomine *virium humanarum*, vel intelligit illas naturales, maxime debilitatas, in quibus etiam post baptismum manet homo semi-vivus (quia liberum arbitrium non amisit) ut dixit Dominus in parabola, sed valde saucius ex illis quatuor vulneribus relictis ex peccato originali, etiam postquam dimissum est, scilicet, *ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, ferventis concupiscentie bonorum sensibilibus in appetitu concupiscibili, & infirmitatis in irascibili*, quas tradidit V. Beda, & exponuntur à D. Thoma 1. 2. *quest. 85. art. 3.* vel intelligit vires humanas, ut adjutas per gratiam Christi, quam Deus nobis confert per passionem, & mortem sui unigeniti filii, & nunquam denegat petentibus illam, si per Christum petant cum illis debitis conditionibus supra assignatis ex D. Thoma.

29 Si dicat primum; ultro fatemur, hominem etiam fidelem, non posse; & illud incommodum valde magnum subire, superare suas vires sic intellectas: sicut nec potest implere omnem legem naturæ, nec vincere aliquam gravem tentationem sine speciali gratia Dei. Et in hoc sensu intellexerunt vires humanas Lutherus, & Calvinus, damnati per Trident. Jansenitæ damnati per Constit. Innoc. X, & Alex. VII., & Quiesnelliani damnati per

Constit. Unigenitus Clement. XI. Nam hi omnes, vel non agnoverunt veram gratiam per Christum; vel eam talem posuerunt, ut non posset conciliari cum vera libertate creaturæ, & potentia dominative indifferente ad agere, & non agere, agere hoc vel illud, in quo stat vera libertas: nam posse peccare potius est defectus potestatis, & libertatis, ut docet D. Th. q. 22. de verit. art. 6. & patet in Deo, Christo, & beatis, in quibus est perfecte libertas, nec tamen est potentia peccandi. Unde non crediderim virum pium, & doctum Theologum, nomine virium humanarum in sua ratione intellexisse vires humanas non adjutas gratia per Christum, sed potius intellexisse vires adjutas gratia.

30 Si autem in hoc sensu illas vires intelligat; sic arguo: (methodo Scholastica, absque ulla censura) sequens absurdissimum inconueniens inferens; ergo homo fidelis, interrogatus à potestate publica de sua fide; si videat, ingenue fatentes suam fidem Catholicam, gravissime torqueri, & tandem occidi, si illam non deserant, ut accidebat in illis gravissimis persecutionibus Primitivæ Ecclesiæ, poterit tacere, aut amphibologicè respondere, non exprimendo ingenue suam fidem Catholicam, etiam si agnoscat, sic detrahi honori divino, & utilitati proximorum; quæ sunt capita, ex quibus D. Thom. 2. 2. *quest. 3. art. 2.*, & cum illo Theologi, & late Card. de Lugo de Fide *disp. 14. sect. 2.*, asserunt, rigurosam esse obligationem ingenue confitendi fidem in illis circumstantiis, juxta illud Apost. Rom. 10. *v. 10: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quod tamen absurdissimum est,

est, & merito expressè damnatum ab Ecclesia per Innoc. XI. in illa propositione 18.: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei, gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

31 Hoc autem absurdum legitime inferri ex illa doctrina P. Viva, probatur. Juxta P. Viva, exponere vitam discrimini est malum adeo magnum, ut illud subire ita superet vires humanas, etiam adjutas gratia, ut resultet impossibilitas moralis subeundi tantum malum, excusans ab obligatione illud malum subeundi, etiam quando ad hoc, ut vitetur tale malum, homo manet in periculo proximo peccandi mortaliter; sed hoc malum amittendi vitam, (& sæpius post gravia tormenta) imminet certò illi, qui interrogatur à potestate publica de sua fide, si ingenuè illam profiteatur: ergo si vera est illa doctrina P. Viva, sic interrogatus à potestate publica, laborabit impotentia morali subeundi tantum malum physicum per vires humanas, etiam adjutas gratia; & sic excusabitur ab obligatione ingenuè fatendi suam fidem Catholicam, & licitè poterit tacere, aut amphibologicè loqui, & respondere.

32 Forsan quis negaret consequentiam, propter maximam disparitatem inter id, quod concedit P. Viva, & id, quod merito damnavit Innoc. XI. Hoc namque expectat ad præcipua capita Religionis Christianæ.

33 Sed contra est. Nam hac solutione non poterit uti ullus mediocriter instructus in arte sillogizandi. Disparitas namque assignata tantum se tenet ex parte materiæ.

Nostra autem ratio procedit ex parte formæ ratiocinandi, ex illa causali assignata à P. Viva in sua ratione: nempe, *ideo non obligari ad subeundum malum adeo magnum, quale est mors, vel periculum mortis, aut miseræ, certo imminens, quia superat vires humanas, etiam adjutas gratia.* Ex hac autem causali, in quacumque materia, in qua verificetur similis causalis, idem verificabitur, & idem consequens inferretur, sive verum, sive falsum: sicut ex hac causali: *Quia homo est rationalis, est risibilis*, inferitur hæc vera: *Petrus est risibilis, quia est rationalis*: & hæc condicionatalis de antecedente impossibili, & consequenti bene illato: *si asinus est rationalis, asinus est risibilis*. Sic ergo ex illa causali P. Viva intulimus illud absurdum.

34 Revera fidelem ingenuè confiteri suam fidem coram potestate publica non excedit vires humanas adjutas gratia per Christum. Unde hominem sic agere in illis circumstantiis, rigorosè præcipit Deus, qui, ut vidimus ex Trident., *impossibilia non jubet*, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvare ut possis: Idest, infallibiliter confert per gratiam, qua id, quod hic, & nunc, urget, exaquatur homo, qui ad Deum recurrerit per orationem fufan cum his quatuor qualitibus supra expositis ex D. Thomæ.

35 Unde hæc D. Thomæ doctrina videtur satis confirmata à Trident.; nec opus esse ad infalibilem impetrationem, quod homo orans sit in gratia gratum faciente, ut alii sentiunt. Et hinc quantam fiduciam nobis præstare possit oratio fufan cum illis quatuor comitibus; quæ tan-

santa est, ut S. P. Aug. super illud Psalm. 65. *Benedictus Dominus, qui non ammovit orationem meam, & misericordiam suam à me; dixerit: si non ammovebit Deus orationem tuam à te; securus esto, quia non ammovebit misericordiam suam à te;* cum tamen nemo citra specialem revelationem certo possit scire se esse in gratia gratum faciente. Ille etiam, qui certo scit se esse in peccato mortali habituali, quia nec confessus est actuale jam commissum, nec conatus est ad contritionem perfectam de illo, sæpè tentatur gravissimè ad novum actuale peccatum mortale, tentatione, quam in nostra Schola vincere non potest sine speciali gratia Dei; quia homo etiam iustus constitutus in tali gravi tentatione, tanta laborat impotentia morali; ut Sap. Mag. Aliaga, tract. de necessitate gratia, dub. 6. §. 4., asserat, hanc propositionem: *Homo sine speciali gratia Dei vincit gravem tentationem, nedum falsam esse, verum phisice, & metaphisice impossibilem.* Nunc sic: sed Deus, qui impossibilia non præcipit, illi etiam existenti in peccato mortali habituali præcipit, ne illi gravi tentationi succumbat, & novum peccatum mortale committat: ergo quia illi etiam promissit dare gratiam, qua in illa tentatione positus non succumbat, nec peccet, si illam à Deo petierit cum illis quatuor comitibus assignatis à D. Thoma. Verissima ergo est, & in Trident. fatis confirmata ejus doctrina, etiam quatenus art. 16. illam extendit ad existentem in peccato mortali habituali.

36 Similiter constitutus in occasione proxima peccandi mortaliter, & timens incidere in valde

grave malum temporale, mortem, scilicet, aut miseriam, si talem occasionem fugiat, certissimè impetrabit à Deo gratiam, qua talem timorem propulset, dato illi robore, ut occasionem fugiat, & malum temporale, quantumcunque magnum, & grave, non timeat, sed amplectatur, Deo fidens, qui vires dabit, ut sustineat: sicut interrogato à potestate publica de sua fide, proculdubio dat, ut contemptis tormentis, & ipsa morte, ingenue fateatur suam fidem, si gratiam ad hoc à Deo petat. Ad hunc ergo finem Confessarius orationes fructuose injungat.

§. VI.

Impugnatur alii duo casus, in quibus P. Viva ait, procedere etiam suam opinionem.

37 **D**ifferuimus de malo mortis, aut miseræ. Cui P. Viva eodem num. 2. adjungit alia duo mala, scilicet, *infamiam*, aut *mendacitatem*: asserens, virum honoratum licite posse manere in occasione proxima peccandi, si ex ejus desertione incidat in gravem infamiam. De infamia ex professo postea in particulari art. Nunc ejus assertio impugnatur ex gravi inconvenienti, quod ex illa opinione videtur sequi.

38 Sequitur namque adolescentem Bernardum in casu puellæ injectæ in ejus lectum dormientis, de quo in Dissertatione 1., licite potuisse in eodem lecto cum illa manere cum omni pace, & illo eodem modo, quo narratur à Guillelmo, dummodo precibus se Deo commendaret petens ejus auxilium, ne puellæ sollicitanti ad turpia succumberet; sed consequens non admittent

linius, & multo Minus-Leodientis; nec ego admittam, maxime si sequerentur excitationes, & palpæ puellæ impudicè tangentis corpus adolescentis, nec somno fuisset correptus, sed vigilaret; ut casum proponit Illmus. Caramuel: ergo.

39 Probatur major. Illa puella noctu nuda se injiciens in lectum adolescentis, proculdubio erat domestica, & forsan Bernardi Consobrina, tunc in domo Patris manens, & vesano adolescentis Consobrini amore correpta. Idemque casus potuisset accidere in domo ipsius Ducis Burgundiæ, si aliquo casu Bernardus, aut alius adolescens, aspectu decorus, in illa domo pernoctaret jacens in lecto, & filia ipsius Ducis simili erga illum carnali concupiscentia afficeretur, in lectumque ejus noctu ingrederetur, ut ad turpia ipsum sollicitaret. In hoc casu Bernardus, sentiens illam, & agnoscens esse suam Consobrinam, eademque cum ipso nobilitate gaudentem: aut esse filiam ipsius Ducis Burgundiæ: (nec enim palatia Regia ejusmodi concupiscentias excludunt, etiam sororum erga fratres, aut fratrum erga sorores, ut patuit in Amnon Primogebito Regis David, erga suam sororem Thamar:;) in hoc casu, inquam, Bernardus ex proprio Consilio, & prudentia agens, & absque recurso ad Dona Spiritus Sancti, potuisset licite cum omni pace & silentio cum illa puella manere in eodem lecto, ad vitandam ejus infamiam, & ne ejus impudentia publicaretur, ut facile erat, si vel illam è lecto pelleret violenter, vel ipse è lecto surgeret, & abiret in silentio noctis ad alium locum ejusdem domus. Si ergo sequela infamiæ excusat, &c.

40 Aliter casus, ad quem P. Viva extendit suam opinionem in eodem num. 2., est, si familia honesta, ex separatione ab occasione proxima peccandi, redigenda esset in mendicitatem. Qui casus bifariam videtur posse accidere. 1. Si in illa familia esset aliqua femina pulchra, quam adamasset vir dives, & ejus respectu totam familiam sustentaret: qua sustentatione sublata, familia honesta, non aliter sustentari posset, quin mendicitate. Et in hoc casu, ultra peccatum illius divitis, manendi in occasione proxima peccandi cum illa femina, videtur intercedere aliud peccatum gravissimum inficiens totam familiam, vel saltem Patrem familias, vel illam personam, ad quam spectabat impedire ingressum illius divitis in suam domum: nempe lenocinium.

41 Aliter potest accidere talis casus, si Pater familias exercent officium ex se licitum, & honestum, sed vitio exercentis illum, ponens in occasione proxima multorum peccatorum mortalium, ut furtorum, calumniarum, &c. de quibus S. Borromæus in suis Regulis, & vidimus in Præludio §. 2. num. 6. Et in utroque casu satis manifestum videtur, ægerrime posse sustineri, quod quis posset licite manere in occasione proxima.

S. VII.

Impugnatur opinio P. Viva ex doctrina S. Basilii Magni, de Constitutionibus Monasticis cap. 4.

42 P. Viva suam opinionem probat num. 13. ex Divo Basilio loco laudato, characteribus cursivis exscribens sequentia verba, qua

fi ad litteram sint verba Sancti Basilii, experimentia suam sententiam: *Qui urgente aliqua causa, & necessitate, se periculo objicit, vel permittit, se esse in illo, cum tamen alias nollet; non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire: & ideo providebit Deus, ne in illo pereat.* Hæc verba affert P. Viva: deceptus tamen, ut jam annotavit Mag. Martinez de Prado, sicut & alii, auctoritate P. Thomæ Sanchez in Decalogum lib. 1. cap. 8. n. 3.: ubi ipsi accidit, quod in præcedentibus dissertationibus R. P. Pinio; nempe, quod cum antea legisset in D. Basilio tractatum de *Monasticis Constitutionibus*, & vellet in compendium redigere, quæ legerat cap. 4. judicans illa argumento, de quo tunc agebat, congruere; memoria, infida excogitatorum custos, loco doctrinæ D. Basilii, quam prius legerat, ministravit ipsi illam sententiam, quam ibi falso apposuit; irrepente ipsi fallacia: quæ, ut vidimus ex D. Augustino, Serm. 28. tom. 10. cui non irrepit? Hoc autem contabit, producta ipsa littera D. Basilii ex Editone Andreæ Schoti Soc. Jesu, ann. 1616., quam subjicimus.

43 Epigraphe illius cap. 4. de *Constitutionibus Monasticis*, est, *Quod nequaquam temere cum mulieribus congregari, & colloquia texere conveniat.* In ipso autem cap. post aliqua, sic ait Sanctus Doctor: „*Quoad fieri possit ab earum rerum congressu, longissime fugiendum est cum primis, quæcumque in conspectum nobis adductæ, reficata libidinum memoria, consilium, rationisque vim, nobis perturbant, atque confundunt, bellæque & sollicitos in animo angores cient.* Etenim bellum, quod præ-

ter voluntatem nostram incidat nobis, excipere fortasse necessarium sit; ipsum vero aliquem sibi voluntarium creare, id vero summæ utilitatis est; si quidem ignoscere ei forsitan possit, qui in priori illo victus sit (nolim autem omnino hoc Christi athletic evenire) atque qui in posteriore hoc superatus discedat, is, præterquam quod rem admodum ridiculam facit, non meretur etiam, cur sibi ignoscatur. Quo circa fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congressiones sunt, colloctionesque: nec ad eas unquam accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere non possimus. Hæc Sanctus Basilius longe diversa ab his, quæ in compendium rededit P. Sanchez, & exscripsit P. Viva.

44 Manifestata fallacia, quæ doctissimo P. Sanchez, & ex ipso aliis irrepit; oportet ex ipso Mag. Basilio, (eximio inter PP. naturæ, & passionum ejus penetratore, ut patet in ejus *Hexameron divini officii*, quod opus tanti fecit Sanctus Ambrosius,) ostendere, in quanto periculo, & certo naufragio sit, qui est in occasione proxima peccandi. Porro ipse S. Doctor sic immediate subdit: „*Atque ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est; adeo ut quam ocysime, nulla mora ab istis nos extricemus.* Animadvertite enim quid de hac re sapientia dicat: (Prov. 6. juxta LXX.) abscondet quis ignem in sinu suo; & vestimenta sua non comburet? Ambulabit quispiam super carbonem ignis; & pedes non comburent? Quod si quis dicat, ex assiduò duo se cum mulieribus colloquio,

„ congressuque , & convictu , non
 „ admodum lædi ; hic sine dubio,
 „ aut maris naturæ particeps non
 „ est , & portentum est quoddam
 „ insensibilissimum , & præter om-
 „ nium opinionem admirabile , & in
 „ utriusque sexus (ut ita dicam) con-
 „ finis positum :: Verum si hoc ipse
 „ non sentit , qui quæso hoc ita esse,
 „ cæteris item facile poterit persua-
 „ dere ? Porro quod quis nulla pro-
 „ posita utilitatis spe multitudinem
 „ scandalizet , hoc ei arbitror non
 „ vacare periculo.

45 „ Quamquam ad hanc alia
 „ etiam ratio expectanda est : quod
 „ esto vir nullum ipse in animo suo
 „ perniciosæ cogitationis noxam
 „ conceperit , de muliere certe,
 „ quod ea quoque idem faciat , num-
 „ quam nobiscum controveitet , quod
 „ ipsa videlicet nullis corporis libi-
 „ dinibus moveatur. Quin incidit
 „ sæpe numero , propter consilii
 „ imbecillitatem , & majorem quan-
 „ dam in eo sexu ad libidinem pro-
 „ clivitatem , cum femina ipsa ali-
 „ quantulum ejus , qui inconsideran-
 „ ter secum congressus sit , libidine
 „ commota sit. Atque ille quidem
 „ nullum vulnus accepit , sed sæpe
 „ numero inflixit : & quemadmo-
 „ dum id fecerit , non intelligit.
 Hæc Sapientissimus vere Magnus
 Basiliius : quibus ad præsens argu-
 mentum nihil accomodatius.

s. VIII.

*Aliis rationibus probatur nostra
 Conclusio.*

46 **M**AG. Prado loco supra lau-
 dato aliis rationibus probat præsentem Conclusionem nos-
 tram à num. 15. Primo: quia tene-
 mur totis viribus fugere omnes oc-

casiones scandali , tam activi , quam
 passivi. Sicut enim est mortale pec-
 catum præbere aliis occasionem
 mortalis peccati , ita quando mor-
 taliter certi fumus , quod aliquid
 erit nobis occasio scandali passivi,
 seu mortalis peccati , tenemur sub
 mortali illud fugere , juxta illud
 Matth. : *si manus tua scandalizat te,*
 &c. Pro cujus sententiæ expolitione
 adhibet S. Athanasium *quest. 70.*
 S. Cyrillum *Alex. lib. 12. in Joann.*
cap. 28. : Lyram , Hugonem , Ca-
 jetanum , & alios Evangelii Com-
 mentatores.

47 Secundò probat num. 16.,
 quia vita gratiæ præferenda est om-
 nibus temporalibus , juxta illud
 Matth. 16. *Quid enim prodest , &c.*
 ergo si ex una parte imminet
 periculum amittendi vitam corpora-
 lem , honorem , divitias , & omnia
 bona temporalia , non solum unius
 hominis , sed totius mundi ; & ex
 alia sit certitudo quasi moralis offen-
 dendi graviter Deum , & amitten-
 di ejus gratiam ; tenemur cuncta
 temporalia dimittere , ne exponamur
 periculo quasi moraliter certo amit-
 tendi gratiam Dei.

48 Tertiò probat num. 17.,
 quia ordo charitatis est in præcep-
 to : ergo plus debemus diligere
 Deum , & vitare ejus gravem offen-
 sam , quam nos ipsos , & cætera
 alia bona temporalia ; eisque iniqua
 commutatio præferre temporalia :
 siquidem incomparabiliter majus est
 vitare unam Dei offensam , quam
 bonum totius mundi. Unde Mag.
 Soto , *de Justitia & Jure lib. 3. quest.*
7. art. 6. concl. 2. ait : Nullatenus
 licet , aut vitam spiritualem , hoc est , Dei
 gratiam amittere , aut minimam ejus
 jacturam facere pro salute spirituali totius
 mundi. Immo , ut absit blasphemia verbo ; si

casus per impossibile accidere posset, neque pro ss. defendenda gloria. Et lib. 10. quest. 2. art. 2. in fine ait: Quod è diametro repugnat charitati Dei, salutem spiritualem propriam saluti totius mundi postponere.

49 Num. autem 18. profert verba Sap. Mag. Lorca: Qui de Charitate disp. 28. num. 9., juxta tres à Prado propositas rationes: Comuni omnium consensu (inquit) exponere se periculo peccandi, si id periculum certo moraliter imminet, peccatum est ejusdem generis cum ipso peccato, juxta illud Ecclesiastes 3. Qui amat periculum, &c. & Matth. 18. Va mundo à scandalis. Non ergo plus licet exponere se certo periculo ruinae spiritualis propter bonum spirituale alterius, quam peccare. Quare qui hoc periculum timeret, deberet abstinere à doctrina, vel administratione Sacramentorum, & ab aliis spiritualibus Officiis. Hæc Lorca, qui extendens doctrinam ad lucrum spirituale proximorum, à fortiori comprehendit damnum temporale proprium. Alia gravissima ex S. Thoma à Villanova, & aliis clarissimis Ecclesiæ Episcopis possent adduci, quæ valide confirmarent presentem Conclusionem nostram: sed illa referuimus pro coronide hujus dissertationis, & qualicumque nostræ opellæ.

§. IX.

Occurritur argumentis quæ possent objici.

50 **M**Univimus Conclusionem nostram tot rationibus, ut juxta promissa, trutina quæstionis gravissimæ, ex cujus resolutione pendere potest tot animarum salus, fieret ad pondus Sanctuarii. Eademque ratione operæpretium

visum est, minime dissimulare, quæ in contra objici possent: & Dei auxilio freti speramus extricare.

51 Objicies igitur 1. ex cap. Consultationi. 4. de Irigidis, ubi Lucius III. in casu matrimonii contracti in facie Ecclesiæ, quod propter arctitudinem feminae non potuit consummari, sic respondet: Romana Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas, tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores: ergo ex causa gravi licet habitare cum femina, cum periculo proximo peccandi cum illa, osculis, tactibus, &c.; quale esset retinenti illam tamquam sororem.

52 Negatur consequentia. Quia juxta DD. illa licentia limitatur, ita ut debeant separari decreto judicis, si inveniuntur dormientes in eodem lecto, aut aliter incontinenter viventes, tactibus, aut osculis, aut aliis impudicitiiis. Immo si ita sint juvenes, & aliunde cogniti fragiles: ut ex Navarro ait Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 97. num. 7.; hoc confirmans ex proprio motu Sixti V. de Matrimonio Spadonum; quia utrobique eadem est ratio. Nec talis licentia in illo cap. insinuata, & cap. Venerabilem. 5. eod. titul. & cap. Requisisti. 2. caus. 33. quest. 1. ex D. Gregorio, data est ad vitandum scandalum, aut infamiam, ut Sanchez ait in Decalog. lib. 1.: sed ut eorum voluntati descendatur, si forte ita caste se diligunt, ut simul vivere velint, & frui privilegiis, & juribus regni, quibus fruuntur legitime conjugati; dummodo continenter vivant, ut ait idem Sanchez loco citato de Matrim.

53 Objicies 2. ex D. Th. 2. 2. quest. 10. art. 9.: ubi inquirens utrum cum

cum infidelibus possimus communicare? affirmative resp. *Quantum ad firmos in fide, & de quibus potius sperari possit infidelium conversio. simplices autem, & infirmi, de quorum perversione, (inquit), probabiliter potest timeri prohibendi sunt ab infidelium communione: & precipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent: ergo si addit necessitas, poterunt licite communicare cum infidelibus, etiam cum periculo subversionis.*

54 Negatur consequentia; ut pote, quæ ex verbis D. Thom. nullo modo infertur. Nam S. Dr. precipue tollit magnam familiaritatem cum infidelibus: & tantum concedit communicationem in necessitate. Talis autem necessitas, dum fideles sunt comixti cum infidelibus, sæpe accidit in contractibus necessariis, litibus, & similibus, in quibus communicatio nullum perversionis periculum affert. Quando autem, & qualiter liceat cum hæreticis disputare; bene, & breviter exponit *Vviganđ tract. 7. quest. 12. num. 50.*

55 Objicies 3. Egestas magna, cogens ad mendicitatem, sollet homines inducere ad alia gravia peccata, furtum, v. g. Unde Sapiens Prov. 30. sic orat Deum: „Mendicitatem „ne dederis mihi: tribue tantum vic- „tui meo necessaria, ne forte egestate „compulsus furer, & per jurer nomen „Domini: ergo mendicitas respectu familiaris honestæ est adeo grave incommodum, ut ad illud vitandum, possit quis licite manere in occasione proxima peccandi mortaliter, ut vitet alia peccata.

56 Negatur consequentia, ex supra dictis. Et fat sit audire Apostolum ad Rom. 3. v. 8., sic fe que-

rentem; sicut blasphemamur, & sicue ajunt quidam, nos dicere: faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est. Cum ergo constitui in occasione proxima peccandi mortaliter sit peccatum mortale; mendicitati occurratur per laborem manuum, aut per recursum ad Paternam Providentiam Dei, qui passeres alit, non ferentes, neque mententes.

57 Objicies 4. D. Thomam in 4. dist. 16. quest. 4. art. 2. de Officiis, (de quibus Gregorius hom. 24. in Evang. & S. Greg. VII. cap. *Falsas de penit. dist. 5., & habetur apud Mag. loco citato, dicunt, vix exerceri posse sine peccato qualia sunt negotiatio, militia, &c.*) sic docentem: *Vicendum, quod officium militiæ, negociationis, & publicanorum, quæ veřtigalia publica exigunt, ex propinquo habent peccatum annexum, quamvis sine peccato quandoque exerceri possant. Et quia penitens debet occasionem vitare, etiam talia officia laudabile est si evitet. Non est tamen de necessitate penitentia; quia penitens non potest omnes occasiones peccati vitare, dum in mundo isto vivit: & ideo sufficit, si peccatum in istis officiis vitet: ut quod miles secundum Consilium Joannis neminem concutiat &c., Quod autem Greg. dicit in littera, intelligendum est, non quia non possit sine peccato fieri, sed quia frequenter ad peccatum implicat. Hæc D. Thomas. Ex quibus sic arguitur. Periculum, seu occasio proxima peccati mortalis, ut vidimus art. 1., non est illa, in qua semper peccatur, aut in qua raro non peccatur, sed est illa, in qua frequenter peccatur; sed D. Th. docuit hominem non teneri ad deferenda hæc officia, licet frequenter ad peccatum*

implicent, quia sunt necessaria ad temporale bonum reipublicæ: ergo ex causa etiam valde magna temporali poterit homo licite manere in occasione proxima peccandi mortaliter, dummodo adhibeat medicinas spirituales, ut peccatum vitet.

58 Respondetur distinguendo minorem per explicationem doctrinæ D. Thomæ: quando homo, vel ex pravo habitu, vel ex experientia propria fragilitatis agnoscit, in executione illorum officiorum statim, vel quasi statim, esse peccaturum mortaliter, nego min. quando hoc non est expertus conced. min.; & neg. consequ. Sumitur hæc solutio ex Innoc. II. in Concilio Romano: cujus sententia habetur in Decreto, de Penitentia dist. 5. cap. Fratres. 8. ibi: *Fratres nostros Episcopos, & Presbyteros admonemus, ne falsis penitentis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur: falsa etiam sit penitentia, cum penitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit: quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.*

59 Objicies 5. Licet Matrimonium hæretici cum Catholica, vel è converso, sit jure naturæ, & Ecclesiastico illicitum; tamen ex maxima causa, etiam temporali, v. g. quod Catholici in Regno Regis hæretici possint pacifice vivere, & in temporalibus negotiari, potest fieri licitum, & Summus Pontifex in hoc dispensare: ergo licet adire, vel permanere in occasione proxima peccandi mortaliter, ex se sit peccatum mortale; tamen poterit licere ad vitandum incommodum valde magnum etiam temporale. Antec. tamquam cum communi sententia defenditur à Sap. Mag. Fr. Basilio Legionensi nostræ Universita-

tis insigni Primario, & de nostra Schola optime merito; ut pote cui Universitas commisit extensionem rationum, quibus permota fuit ad emittendum juramentum sectandi doctrinam SS. DD. Augustini & Thomæ: cujus opusculi extat exemplar apud N. Medicis in comentariis summæ D. Thomæ, licet postea ex aliorum postulatione Universitas filios suos liberaverit à præfato juramento; cujus meminit etiam Gravina de Sacro deposito.

60 Fusius autem de eodem antecedenti agit in appendice ad suum opus de Matrimonio. Ubi cap. 6. idem antecedens probat ex opinionibus Theologorum, qui in specialibus casibus ad eam doctrinam recurrerunt, & proponit sequentes: 1. Medicus licite ministrat prægnanti etiam post fatum animatum medicinam, quæ periculum afferat abortus, & mortis fetus sine baptismo, quam tenuit Cordova, & sequitur Vazquez. 2. Juxta Vazquez, & Canonier, licite potest homo sumere medicamentum ad assequendam salutem, quamvis probabiliter putet, ex eo futuram seminis effusionem, & consensum in ejus delectationem, ex his, quæ sua fragilitate expertus est. 3. Ille, de cujus potentia dubitatur, si uxorem ducit, potest per triennium destinatum à jure experiri, quamvis certum sit, illum exponi periculo sæpe consummandi extra vas; quod in aliis casibus esset gravissimum peccatum: ergo exponi periculo peccandi, tunc tantum est peccatum, quando sit sine urgenti causa vel necessitate, etiam temporali, ut patet in conjugio Eithæris cum Aisvero; & Judith, expositæ ad conjugium cum Holoferne, in quibus matrimoniis re-

mote etiam adesset utilitas spiritua-
lis judaicæ gentis & ejus Religio-
nis conservatio: sed in casu præg-
nantis præcise adest utilitas tempo-
ralis vitæ ejus. Hæc in substantia
Sapientissimus Magister; quæ com-
vellere videntur nostram Conclu-
sionem.

61. Sanè valde dolerem in hac
gravissima quæstione tantum Doc-
torem habere adversarium. Sed si-
cut Mag. Prado nostram sententiam
defendens, num. 22. ait, illi non
opponi gravissimos DD. Navarram,
& Thomam Sanchez, si cum re-
flexione legantur, licet ex illis ali-
qua contra nostram Conclusionem
argumenta fiant; idem judico sen-
tiendum de Sapientissimo Basilio
Legionensi.

62. Nam in appendice *cap. 6.*
num. 3. approbat, & suam facit
doctrinam Serarii in *Judith cap. 13.*
quæst. 4. Ubi cum quæreret, *an*
licite se potuerit exponere periculo cas-
titatis? sic resp. *In castitatis vero*
periculo se se dare, neque illis, ne-
que ulla debet; nisi vel graves cause,
certeque rationes ostenderit, pericu-
lum illud vitari posse: & licet quan-
doque difficulter possit; possit tamen: &
ejusmodi essent tempora, ut in solem,
& in pulverem prodeundum esset.
Unde tantum concedit, licitum esse
matrimonium hæretici cum Catho-
lica, quando certa moraliter est
spes evadendi periculum subversio-
nis in propria persona: de prole
autem, quæ cura adhibenda fit,
docet *cap. 7.* De Navarro autem,
à sua sententia revera non dissentire,
ideo dixit Mag. Prado, quia
in Manuali Latino *cap. 3.* in Corolla-
riis (de quibus postea ex professo
agemus) à num. 15, dum tenet
Confessarium posse absolvere pœni-

tentem existentem in occasione pro-
xima peccandi mortaliter, exigit
aliquas condiciones: ex quibus al-
tera est, quod credat pœnitens,
se, Deo adjuvante, non peccatu-
rum, cum se invenerit in tali oc-
casione.

63. Unde patet responsio ad 5.
argum. Admissio namque, vel con-
cesso antec. negatur consequentia.
Nam in illo casu eximie necessita-
tis, in quo solus Deus posset bono
Ecclesiæ, & Catholicorum provi-
dere, & ex tali matrimonio tam
magnum bonum consequitur; licet ali-
quod periculum timeretur, pruden-
ter, & juxta sanam Theologiam po-
terat sperari tali periculo sufficien-
ter occurrum iri, media oratione
communi Catholicorum. Nec tunc
sic orare esset Deum tentare, sed
potius esset actus Religionis, quo
Catholici se Deo subderent, peten-
tes ab ipso, quod solus ipse effu-
cere posset. At casus præsentis quæ-
stionis procedit circa personas parti-
culares, quæ per se ipsas possent
liberari à periculo occasionis proxi-
mæ, fugiendo illam; etiam si ad
hoc necesse esset exponere se periculo
miseriæ, aut etiam mortis: quia ut
docet nos Christus Dominus ille ve-
re amat animam suam, qui odien-
do vitam temporalem, illam servat
in vitam æternam.

64. Ad casus positos à Mag.
Basilio, haud difficile respondetur.
Ad 1. negatur consequ. quia mater
habet jus ad conservandam vitam
suam per media per se ordinata ad-
hoc. Unde sicut D. Th. 2. 2. q. 64.
docet, posse quem, non quidem
directè, velle aliquem occidere, sed
se defendere, etiam si ex defension-
e per accidens, & præter ejus in-
tentionem, sequatur alterius occisio:
ita

ita licet defendere vitam matris, etiam si per accidens sequatur occisio fetus. Et Vazquez addit, licere matris secare venam, ut humor noxius evacuetur, licet ex defectu alimenti timeatur interitus fetus; quia sanguis per naturam per prius datur, ut deserviat matri, quam fetus. Idem, si lac detentum in uberribus matris illi esset noxium.

65. Sed quid, si esset spes baptismi prolis, mortua matre, ex ejus utero extracta? cum ipsa vitam etiam corporalem deberet prodigere propter vitam spiritualem, & æternam prolis, juxta ordinem charitatis 2. 2. *quæst.* 26. Quod possibile esse, constat in Sancto Raymundo Nonnato: & accidisse etiam Compluti, dum ipse ibi maneret, refert Mag. Prado, idem referens ex Discaltillo. Vazquez limitat, dicens, non posse adhiberi prægnanti medicamentum alterans humores, quia sic directe inferretur mors proli; cujus sententiæ adhæret Card. de Lugo, de *Justitia disp.* 10. *num.* 133. & 135, cum Sanchez, de *Matrimonio lib.* 9. *disp.* 20. *num.* 17., asserente, matrem ex charitate teneri abstinere à tali medicamento, si judicio Medicorum spes probabilissima sit baptismi prolis: pro qua sententia stant Armilla, Candidus, Serra, citati à Prado, *Theolog. Mor.* cap. 20. de *Homicidio, quæst.* 6. *num.* 21. Sed ipse *num.* 24. primo asserit, obligationem matris adhuc ex charitate esse dubiam: quia expositio vitæ corporalis pro spirituali proximi tantum obligat, quando est necessaria ad illum finem, ut cum Soto exposuerat *cap.* 15. *num.* 35. & quod in presenti casu dubium est; cum & dubium sit, an fetus jam sit mortuus propter corruptum alimentum

ex corpore matris infirmæ: dubia etiam est pericia Chirurgi extrahentis fatum. Quibus addit, argumentum probare, matrem teneri, ut ex ventre ejus, adhuc viventis, dissecato, extraheretur fetus, si speraretur fatum posse baptizari; quod nimis durum videtur. Tandem docet, medicos in medendis prægnantibus non debere nimis scrupulose procedere; quia sæpe tenentur, medicamentum probabiliter profuturum, etiam si timeatur proli nociturum, juxta monitum Cornelii Celsi insignis Medici apud Sanchez, *loco citato num.* 19.

66. Ad secundum, idem dicitur de pollutione per accidens secuta ex medicamento sumpto ad sanitatem, ut docet Bañez 2. 2. ad *quæst.* 64. *art.* 7. *dub.* 5. *not.* 2: ubi dat duo documenta ad dignoscendum, quando liceat permittere malum secutum ad actionem licitam. 1. Si homo habet jus ad conservationem proprii boni, & illa actio, ex qua per accidens sequitur malum, est necessaria ad proprii boni conservationem, nec malum secutum est notabiliter noxium bono communi, & multo magis, si actio est promotiva boni communis, ut accidit in militibus expugnantibus in bello justo Civitatem cum periculo innocentum. 2. Si illa actio non est mihi necessaria, & ex ejus cessatione nihil, aut parum nocimenti mihi provenit, proximo autem ex illa notabile nocentum resultat; teneor sub gravi ab illa cessare, vel ex justitia, vel saltem ex charitate. Ex quibus documentis sequitur, quod si homo expertus est se ex sua fragilitate regulariter consentire delectationi secuta pollutionis ex tali medicamento, tenetur absti-

nere ab illo, & cum Calimiro Rege Poloniae eligere potius mori, quam fœdari.

67 Ad 3. resp. Ecclesiam ab Spiritu Sancto, eam latenter vivificante, edoctam, permittere per trienium cap. *Laudabilem. 5. de Frigid. & malef.*, illos accessus, non ex quacumque valde gravi causa, sed ex jure, quod ex matrimonio legitime contracto in facie Ecclesiae acquisivit ille, qui potens est coire, ut post bimeltre, (utrique datum, ut possint transire ex privilegio Christi ad Religiosum statum dissolventem vinculum,) matrimonium consummetur per carnalem copulam; ita ut separari non possint, nisi iudicio Ecclesiae; quae prudentissime designavit hoc trienium, ut ipsa experientia patefceret, an alterius impotentia esset perpetua.

§. X.

Alia argumenta ex sacris litteris.

68 **A**Rguitur sexto. Joseph filius Jacob venditus in Egipto, cum esset pulchra facie, & decorus aspectu, in ejus concupiscentiam exarsit uxor Domini sui, molestaque erat ipsi per singulos dies, sollicitans ipsum ad adulterium: cognoscere ergo debuit se esse in periculo, & occasione proxima peccandi cum illa, si ad cubiculum, in quo illa esset, absque arbitris intraret; & tamen sic intravit, ut legitur *Genes. 39. 7. 11.*, apprehensusque est ab Egiptia, ut libidinem suam expleret. Nec culpatur de eo, quod se constituerit in tam praesentaneo periculo peccandi mortaliter; eo quod affuerit causa aliquid faciendi ex commissis sibi à Domi-

no suo, quam admodum gravem fuisse Scriptura non dicit: ergo ex causa admodum gravi, & ad vitandum damnum valde grave, & magnum, licet manere in occasione proxima peccandi mortaliter.

69 Respondetur ex S. Ambrosio lib. de Joseph, cap. 5.: ubi hoc argumentum sibi objicit dicens: *Justus debuit providere, ne furenti copiam daret, & ejus illa peccato periret.* At immediate argumento occurrit subdicens: *Sed qui adversari sibi Domini sui videbat uxorem, neglecti officii etiam à Domino cavere debebat offensam: simul adhuc sermonis, non comprehensionis putabat audaciam. Excusatur quod ingressus est, praedicatur quod elapsus est. Nec pluris fecit vestimenta corporis, quam animi castitiam. Reliquit tanquam non sua, quae adultera suis manibus detinebat: & aliena judicavit, quae tactu impudicae poterant comprehendi.* Haec S. Ambrosius. Praeterquamquod Joseph in omni sua historia typum gerebat Domini nostri Jesu Christi, ut singula percurrens, eleganter tradit nostrae Hispaniae celeberrimus Dr. S. Isidorus, Episcopus Hispalensis *de questionibus in Genesim* toto cap. 30. Unde Joseph in omnibus, quae gessit non tam ex Consilio, & Judicio proprio operatum fuisse, quam actum ab Spiritu Sancto per Dona, judicare debemus, sicut in sequentibus dicemus de Judith, & Elther.

70 Objicies 7. Judith vidua florentis aetatis pulcherrima, audiens Bethuliam obsessam ab Holoferne, Duce Regis Assyriorum, & summum Pontificem cum populo pepigisse illam tradere, si intra quinque dies auxilium non haberent, exuens suae viduitatis cilicium, & lugubre vestimentum, ornavit se, &

cum

cum assensu Summi Pontificis, exiens de Bethulia, perrexit ad caltra, intendens tradi ipsi Holoferni cum evidentissimo periculo suæ pudicitia, cum posset nosse, apud Assyrios sædum esse, si fœmina irrideat virum, agendo, ut immunis ab eo transeat, ut dicitur *Judith 12. v. 11.* & vescendi cibis prohibitis per legem; & tamen de hoc factò non culpatur; quin potius magnis laudibus effertur, cum in illo libro, tum à SS. PP.; eo quòd huic periculo se exposuerit ad vitandum tam grande malum, quale erat excidium populi Dei: ergo licet exponere se proximo periculo peccati mortalis ad vitandum damnum valde magnum, & grave. Et idem argumentum sit in Esther, ex consilio sui avunculi Mardochei, viri pii, nubente cum Assuero, idolotum cultore, cum periculo subversionis propriae, & prolis natae ex illo matrimonio, fractionisque legalium; eo quòd hoc matrimonium ordinaretur ad liberationem populi captivi apud Assuerum.

71 Circa hoc argumentum aliqui apud Lyræ in *Judith, cap. 9. v. 13.* & duobus sequentibus, dicunt, Judith peccasse, & in factò, & in mendaciis; laudari tamen propter affectum ad suum populum. Verum hoc impugnat D. Thom. 2. 2. *quest. 110. art. 3. ad 3.* (ex Sancto Augustino, de *Mendacio, cap. 5.*, & contra *Faustum cap. 34.*) Judith recensens inter exempla perfectæ virtutis, de quibus non est æstimandum fuisse mentitos, sed si in eorum dictis appareant aliqua, quæ mendacia esse videantur, intelligenda sunt figuratè, & Prophetice dicta: *Quamvis etiam dici possit, (prosequitur S. Dr.) quod verba ejus*

(Judith) *veritatem habent, secundum aliquem mysticum intellectum.* Hæc D. Thom., quæ valde placent; & licet talis mysticus sensus ruditatem meam lateat: alii in Sacris Scripturis exercitiores agnoscent.

72 Lyra, cum aliis, à periculo pudicitia illam liberat prætextu matrimonii, non quòd illa vellet, sed quòd Holofernes vellet cum illa contrahere. Cornelius à Lapide ad hoc etiam recurrit pro casu intentatæ violentiæ, quam Judith aliter vitare non posset, nisi alliciendo illum ad matrimonium. Et Cornelium sequitur jam citatus in 1. *dissert. Leodiensis quest. 1. num. 64.* Sed hæc impugnat Sap. Benedictinus Illmus. D. Joseph Zerda, Episcopus Almeriensis & Pacensis, in Primaria Sacræ Theologiæ Nostræ Universitatis Salmanticensis Clarissimum Sidus, super *Judith: cap. 9. in comm. litterali illius v. 13. & sequent., & in explanatione morali sect. 38.*

73 Enimverò difficillimum creditu videtur, viduam SS. adhuc conditionate, aut in quocumque casu consensisse in matrimonium cum illo Barbaro Idololatra; tum, quia, adhuc præscindendo à lege, populo Dei prohibente nuptias cum idololatri, ne subverterentur; Judith agnoscebat illum jam esse uxoratum: & prohibitio polygamia per legem naturæ, gentiles ligabat, ut post Ledesam, & alios, tamquam probabilius tenet Sanchez, de Matrimonio, *lib. 7. disp. 81. num. 13.*: dato autem, quòd permissio polygamia extensa esset ad Gentiles, ut probabiliter plures sentiunt; qualiter SS. fœmina cum matrimonio, lege naturæ exigente mutuum amorem inter conjuges, conjugere posset desiderium occidendi Holo-

ferrem? licet namque in bello iusto stratagemata permittantur ut licita, ad tantum scelus occidendi conjugem non videntur posse extendi.

74. Placet igitur sententia laudati Illmi. Antilitis, sentientis, Judith in his omnibus actam fuisse instinctu respondente Donis Spiritus Sancti, ut distinctis à virtutibus, juxta doctrinam D. Thom. 1. 2. *quest. 68.*: Quod adnotat super illum *¶. 14.* *Da mihi in animo constantiam.* Et quidem hæc doctrina consonat cunctis, quæ leguntur in lib. Judith: Dum *cap. 4. ¶. 8.* legitur cunctum populum in afflictione positum magna cum instantia clamasse ad Dominum: & ipsam Judith ad Oziam *cap. 9. ¶. 33.* dixisse: *Nolo, ut scrutentur actum meum, sed usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum.* Nolit suum actum scrutari, quia agnoscebat procedere ex superiori impulsu: voluit autem orationem continuari, innuens confidentiam boni ex suo actu in bonum populi consequendi, quia edocta ab Spiritu Sancto, cognoscebat veritatem illius sententiæ, quam postea Præexc. S. P. August. protulit in comm. ul-

timi Psal. 65. dicens: *si non amoverit Deus orationem tuam à te, securus esto, quia non amovebit misericordiam suam à te.*

75. Idem, & eodem fundamento dicimus de Esther: nuptias, scilicet, duxisse cum Assuero, actam instinctu Spiritus Sancti per Dona, præter leges communes, juxta dicta in Præluo de Donis Spiritus Sancti, præmisso supra primæ dissertationi principali. Omnia namque, ut patet ex libro Esther, quæ typum gerebat Ecclesiæ, ut asserit Dr. noster S. Isidorus, ordinabat Deus, ut liberaret populum suum ab impiis studiis crudelissimi, & superbissimi Aman. Intercessitque ibi communis afflictio populi Dei per jejunia, & communis oratio, quam Esther indixit, dicens avunculo suo Mardocheo *cap. 4. ¶. 16.*: *Vade, & congrega omnes Judeos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti, & periculo.* Et de hac gravissima questione hætenus.

ARTICULUS II.

UTRUM ALIQUIS POSSIT INGERI, AUT MANERE

in occasione proxima peccandi mortaliter pro bono spirituali suo, aut proximi?

§. I.

CASUS DUBITABILES.

HUic questioni videtur locum præclusisse Innoc. XI., dum

damnavit illam propositionem 63.: *Licitum est querere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* In art. etiam præcedenti vidimus ex

Sapientissimis Magistris Lorca, & Prado, Sacerdotem debere abstinere à doctrina, & administratione Sacramentorum, si timeat certum, aut probabile periculum cadendi in peccatum mortale ex talibus actibus.

Ex modo autem, quo procedit prædicta propositio damnata, enunciando licitum esse querere directe occasionem proximam peccandi, in quo sensu processit iusta ejus damnatio, videntur excepti aliqui casus, in quibus Sacerdos directe non querit, sed veluti cogitur exponere se periculo peccandi mortaliter. Hi autem inter alios sunt: 1. Si moribundus petens Confessionem sit in loco, ubi adsit femina, quæ Confessarii fuit concubina; quam si videat, ipse agnoscit ex sua fragilitate certo lapsurum, saltem in peccatum consensus in copulam, aut delectationem morosam; & non sit, alius Sacerdos, qui moribundo subveniat. 2. Si in eisdem circumstantiis adsit parvulus non baptizatus in proximo periculo mortis: nec sit alius, qui sciat rite, & recte ministrare Baptismum. Et in utroque casu, attentis circumstantiis, sit proximum periculum amittendi fidem; quia accidunt hi casus in territorio hæreticorum, aut infidelium, morte punientium exercentes ministeria Ecclesiæ Catholicæ. 3. Si Parochus Villulæ, ubi non est alius Confessarius, excipiendo confessiones faminarum, vel alicujus determinatæ feminæ, experiatur pollutiones, quarum delectationi, pro sua fragilitate, semper, aut quasi semper consentit.

§. II.

NOTABILIA, ET RESOLUTIO.

3 PRO resolutione notandum, non omnia præcepta etiam naturæ esse æqualia, sed alia præferri aliis, vel propter autoritatem præcipientis, vel propter dignitatem, aut necessitatem rei præceptæ; ut docet D. Thom. *quest. 2. de Malo art. 2.* Unde præceptum, aliàs generaliter obligans, hic & nunc, non obligat, quando adimpletio ejus impediret executionem præcepti majoris dignitatis, & necessitatis, magisque intenti à Legislatore, ut docet S. D. 1. 2. *quest. 96. art. 6.* Inter præcepta autem Decalogi primum, & præcipuum est de dilectione Dei. Secundum de dilectione proximi; cum ordine tamen præscripto 2. 2. *quest. 26.* Ita, ut pro salute æterna proximi debeamus negligere vitam propriam corporalem; sed nobis prius vitam æternam, quam proximis. Unde non debet (inquit S. D. *art. 4.*) *subire aliquod malum peccati, ut proximum liberet à peccato.* Et quidem nec venialiter peccare licet pro salute æterna totius mundi.

4 Juxta quæ ad 1., & 2. dicimus, debere moribundo, & puero subvenire; quia in hoc casu præceptum charitatis erga proximos prævalet, & efficit, ut præceptum de vitando proximo peccando tunc non urgeat, sed ut tunc confidenter agat præceptum charitatis implens, Deo se commendet, & ab illo petat, ut ipsi subveniat auxilio suæ gratiæ, ne cadat in peccatum, in cujus periculum se ingerit amore proximorum: & confidat, quia infalibiliter impetrabit

Dei

Dei auxilium juxta doctrinam D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. ad 2. & *totò art.* 16. : & quod majoris autoritatis est, Trident. *sess.* 6. *cap.* 11. sic nos docens: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat ut possis.*

5 Eadem doctrina respondeamus in casu periculi tormentorum, & mortis, aut amittendæ fidei. Non quia præceptum conservandæ fidei, ut pote clausum in ipso præcepto diligendi Deum super omnia, non sit præcipuum; sed quia ipse honor Dei periclitaretur, si homo proximis non subveniret, ne agnosceretur ab hæreticis, aut infidelibus, esse catholicum; & ita illum torquerent, aut occiderent. Unde sicut Innoc. XI. damnavit illam propositionem 18. asserentem *interrogatum à potestate publica non teneri ingenue suam fidem confiteri; ita in præsentis judicio; quidquid sit, an sit aliqua disparitas: de quo in præsentis non vacat disputare. Commendet igitur se Deo, & confidat infallibiliter impetratum auxilium, ne fidem amittat, dum audiens S. Evang. Joann. Epist. 3. v. 16. dicentem: *In hoc cognovimus charitatem Dei quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere, exponit se periculo mortis pro fratribus suis.**

6 Ad 3., respondetur, distinguendo inter Parochum, qui ex justitia tenetur suis subditis ministrare Sacramenta, dum petunt, nec habet media, quibus adjutorem habeat, & illum, qui præcisè ex charitate illa ministrat. De 1. dicimus debere muniri medicinis spiritualibus juniorum, & orationum fervidarum, ut Deus illum adjuvet, ne cadat in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, & ita munitus ministret: quod si adhuc cadat (quod impossibile judico, si debitis cum conditionibus oret) deponat Officium Parochiale, si aliunde sustentari potest, & suus Episcopus aliud non disponat.

7 De ministrante autem tantum ex charitate, dicimus, quod absteineat à tali administratione. De Sacerdote autem regulari ministrante ex mandato sui Prælati dicimus, hunc meliori modo, quo potuerit, debere se excusare, significando etiam Prælato sub secreto naturali, aut in confessione suam fragilitatem. Quod si genium Prælati agnoscens, ei hoc dicere non audeat; & Prælatus intet, gerat se sicut nuper diximus de Parocho, sperans à Deo gratiam, ne peccet. Et in hoc sensu intelligo doctrinam Mag. Lorca, & aliorum, sub doctiorum Censura, & præcipue sub Censura S. Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

ARTICULUS III.

**UTRUM POSSIT QUIS LICITE INGERI, AUT MANERE
in proxima occasione peccandi, ad vitandam infamiam,
aut scandalum?**

1 **C**asus inter alios dubitabiles sunt: si Beneficiatus habens domi loco famulæ, concubinam,

de quo non est diffamatus in populo; nec sit tempus prætexendi aliquid, cujus causâ illam ejiciat, dum

dum intat hora canendi Missam populo; licite possit absque illius prævia ejectione Missam canere ad vitandam utriusque infamiam, & scandalum, si non canat; quando à populo cognoscitur, posse canere; & maxime si tunc populus Missam non audiret?

2 Secundus, si vir honoratus in populo, habitus tamquam vir bonus, & christianus, habeat concubinam; de quo in populo non est diffamatus, & incurreret infamiam, & scandalum generaret, si in extraordinario Jubilæo, aut post Missiones, & Prædicationem insignis Missionarii, qui totum populum commoverat ad Confessionem, & Communionem; aut tempore Communionis Paschalis non communicet, quia denegata est illi absolutio ob non ejectam antea concubinam: cum tamen ipse vere pœnitent, & propositum affective efficacax habeat de cætero non peccandi?

3 Ad impediendam expulsionem concubinæ, maxime cum hoc turpe commercium non est in populo diffamatum, communis nolter hostis valde invigilat, suggerens inconvenientia, & scandala. Utinam plures discerent à ruina pii cujusdam Sacerdotis cautelam à periculo (Sacri Canones concedebant, matrem, amitam, & sororem; sed & in his, intigante Diabolo, scelus repertum fuit, ut dicitur cap. *Inhibendum est* 1. de cohabitatione clericorum & mulierum) & respicientiam, ejus exemplo. De quo accepi à persona, valde fidedigna, quæ & Sacerdotem agnovit, & fœminam diu tractavit, postea honestissime viventem. Casus ita accidit: cum domi suæ famula ejus ipsi occurre-

ret absque ulla malitia, ipse, qui forte antea à Diabolo circa illam tentatus fuerat, adeo vehementer tentatus fuit, ut succubuerit. At protinus in se reversus ad illam versus dixit: jam mutuam ad invicem verecundiam amisimus: domi hac nocte non dormies: vade, si forte conceperis, curam de prole, de ejusque recta educatione gerere me amplius non videbis; ego autem de alimentis tuis per totam tuam vitam, & prolis curabo. Quod, ut promissit, adimplevit, per fidelem internuntium ministrans etiam filio, orto ex illo accessu, cuncta ad ejus rectam educationem necessaria.

4 Jam ad 1. casum accedendo dicimus, salubrius acturum illum Sacerdotem, si se gerat tamquam carens copia Confessarii, & petens à Deo, ut sibi det perfectam contritionem, constetur ad illam, & sacrum faciat, cum obligatione quantumcunque confitendi juxta Trident. Nam ita, antequam sic confiteatur, erit tempus cum honesto prætextu ejiciendi concubinam: quam forte postea non ejiceret, si à suo peccato antea absolutus fuisset, promittens illam ejicere. Quod & ipse P. Viva, loco supra citato art. 1. num. 16. adnotavit dicens: caute in hoc procedendum, eo quod passim hujusmodi propositum non est efficacax in eo, qui antecederet potuit occasionem tollere, & nondum sustulit.

5 Solet prætextari scandalum. Sed Ludovicus Lopez, insignis Theologus in *Instructorio* cap. 22. not. 3.: *Iniqua* (inquit) est compensatio, si ut quis tollat scandalum aliorum, ipse sibi parat scandalum, & ruinam; non vitando occasiones scandalum hoc sibi ingerentes; hanc doctrinam inferens ex Cajetano super cap. 5. Matth.

Matthæi. Cui consonat alia, quam ex Mag. Soto memini legisse in eodem Lopezio: nempe, ministrum Sacramenti Pœnitentiæ potius in pœnitente debere prospicere ejus conscientiam, quam famam. Debet quidem homo curam gerere de bono nomine: sed cum scriptum sit: melius bonum nomen, quam divitiarum multarum, non tamen dicitur, quam conscientia bona: de qua Apostolus 2. ad Corinth. cap. 1. v. 12. *Gloria nostra testimonium conscientiarum nostrarum, in simplicitate cordis, &c.*

6 Unde ad 2. casum dicimus, viam rectam conservandi bonam famam, & nullam incurrendi infamiam, nec scandalum aliis generandi, esse prius à se scandalum tollere, deferendo concubinam.

7 Sed objicies D. Carolum Borromæum, (jure laudatum tamquam amulsum dicendorum in hac dissertatione) inter apponendas regulas, quas ex ipso tradidimus in Præliudio, num. 4. & 5., supponere existentem in occasione proxima aliquando non posse ab illa se extricare, absque periculo, & scandalo, quod vitare debeat, aut infamia, quam incurere non teneatur: in quibus casibus Confessario præscribit, quæ debeat agere, & aliquando pro prima vice pœnitentiam

absolvere; si medicinas spirituales ipsi propositas acceptet.

8 Respondetur. S. Carolum illo in loco locutum fuisse de illis, qui non sunt sui Juris, nec possunt ab occasione proxima separari. (de quibus art. sequenti) Licet autem hoc expresse non dicat; tamen hanc fuisse suam mentem, manifestatur; quia illis adhuc non extricatis ab occasione proxima, si excipiant medicinas spirituales, quas ibi præscribit contra lapsum, concedit pro prima vice posse absolvi; cum tamen Innoc. XI. per suum Decretum damnaverit illam propositionem 61.: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.* Illi autem, qui non sunt sui juris, sæpe non possunt exire ab occasione proxima. Deinde, quia loquitur de casu, in quo Confessario præscribit, ut tacito nomine personæ pœnitentis, ipsum consulat, ut provideat, quid sit faciendum. Hoc autem tunc regulariter potest videri conveniens, aut necessarium, cum pœnitens est puella honestæ familiæ sub cura parentum, aut tutorum degens, circa cujus spiritualem medicinam, vel diffametur, est necessaria magna cautela, ad quam adhibendam non semper est aptus quilibet Confessarius.

ARTICULUS IV.

DE HIS, QUI NON SUNT SUI JURIS,

QUALITER LICITE POSSINT MANERE IN OCCASIONE proxima peccandi?

§. I.

Quinam sint: & sententia.

Sui Juris non sunt incarcerati qui tamen, si invicem pos-

sint confabulari, viri cum feminis, & è converso; possunt esse in occasione proxima peccandi mortaliter. Item filii, & illarum existentes sub cura

etra parentum, aut tutorum: uxor, si in eadem domo adsit persona, quæ illi sit scandalum. Item servi, & ancillæ emptitiæ, & famuli, qui locaverunt operas suas ad annum, in eadem domo habitantes, & grave detrimentum afferentes Hero, si ante adimpletum annum deserant domum. De his omnibus inquiritur; an eodem jure debeant censerī, si in occasione proxima peccandi sint, ac cæteri, qui liberi sunt, & sine præjudicio alterius possunt occasionem proximam peccandi deserere? An, scilicet, non peccent ex eo, quòd maneant in proximo periculo peccandi mortaliter?

2 Affirmant in hoc non peccare omnes DD. quos vidi. Sapientissimus meus Præceptor in hac alma Academia Salmanticensi, Illmus. postea Episcopus Guadicensis, & Placentinus, in *Pastorali de Pœnitentia part. 2. quest. 1. §. 4.* Fr. Daniel Concina, quem nemo inter laxiores recensebit, in sua Theologia Dogmatico-Morali tom. 4. lib. 8. in *Decalogue dissert. 1. de Luxuria cap. 7. q. 8.* ubi inquirens num. 18.: *absolvendus ne sit filius familias, qui domi concubinam habet? Resp.* (inquit) *Affirmant communiter Theologi; dummodo dolorem, & propositum afferat, & acceptet medicinas spirituales contra relapsum.* Num. autem 19. addit, Confessarium non posse cogere pœnitentem, ut recedat à paterna domo, ne injuriam afferat Patriæ Potestati; suoque muneri satisfacere, si suspendat absolutionem illi, in quo non viderit emendationem. Subdit tamen, filium teneri, primo curare apud Patrem, ut expellat occasionem: à domoque paterna recedere; si videat non posse continere, exemplo primorum Christi-

norum, qui Patriam, domum, Parentes relinquebant, ne Deum offenderent.

3 In hoc Authore, magnotique Theologo, zelantissimoque Evangelii Prædicatore, nuper è visis sublato, relicto magno sui desiderio, ingentique cum dolore suæ Congregationis Venetæ Ordinis Prædicatorum: In hoc, inquam, Authore, jam datur ratio, cur filius familias sine novo peccato possit aliquandiu manere in occasione proxima, ne injuriam faciat Patri. Quæ sententia, an cohæreat cum obligatione, quam imponit filio deserendi domum paternam, quam imponi posse à Confessario negat, postea videbimus.

§. II.
ALIQUÆ CONCLUSIONES.

4 PRIMA Conclusio: Carceratos impossibilitas Phisica excusat: sed tenentur sub mortali abstinere ab aspectibus, colloquiis, & aliis, in quibus videant periculum lapsus, quantum possint.

5 Secunda Conclusio: Idem dicitur de recensitis num. 1. sine injuria Domini non potentibus deserere domum ejus.

6 Tertia Conclusio: Idem de filio emancipato, & jam sui juris effecto, qui ut sustentet Parentes, vivit in eorum domo, aut eos domi suæ retinet; adeo tamen obligatus, ut, illis desertis, non possit licite Religiosum statum assumere, (ut docemur 2. 2. quest. 189. art. 6.) si famula, parentibus necessaria, ipsi esset scandalum: licet in hoc facilius possit esse ejectio ejusmodi famulæ. Ratio jam est insinuata: obligatio; scilicet, naturalis subventionis Parentibus.

7 *Quarta Conclusio*: Filii benefacerent, si, etiam invitis Parentibus, statum Religiosum assumerent: aut Patri peterent, ut extra talem domum eos constituat, applicando eos studiis, militiæ, aut aliis officiis decentibus suam familiam.

8 *Quinta Conclusio*: Idem defilialibus vocatis à Deo ad statum Religiosum, & dote gaudentibus, ut recipiantur. Quod si dote careant, & splendorem suæ familiæ non dedecet servitrices communes Conventus, aut alicujus monialis particularis, agere, & inibi videant liberandas esse à periculis spiritualibus, sicut in servitio alicujus Dominae, hoc agant.

9 *Consulto diximus*, quantum ad statum Religiosum, *ad illum esse vocatas à Deo*, aut saltem talem statum non horrere, & in anno probationis videant talem statum sibi congruere. Nam si illum horreant; minime expedit illum assumere: quinimo earum aeternæ salutis possit officere. Unde in Trident. *sess. 25. in Decreto de Regularibus cap. 18.* Anathemate feriuntur quicumque compellunt, ut aliqua fœmina monasterium ingrediatur non volens, aut in illo professionem emittat, aut his actibus assiterint, aut consilium, & favorem dederint.

10 In recessu porro filiarum à domo paterna, dum non collocantur in Monasterio, aut alia domo honesta, apparent inconvenientia, scandali, periculi, & infamiæ, quæ S. Carolus moverunt, ut vidimus *art. præced.*; & Illmus. D. Montalvan, per omnia S. Borromæum secutus, vitare curavit loco laudato. Periculum est in puella, quæ in hoc scandalum populo asserret,

& infamiam sibi, aut suo Patri, aut Matri.

§. III.

QUID DEBEANT FACERE FILII?

11 *Concina bene admonuit*, filios regulariter debere rogare Patrem, ut famulam, quæ ipsis est scandalum, honesto prætextu ejiciat: non quidem exprimendo peccatum, in quo ipsa sit complex, ne illam diffament; sed præcise significando tentationes, quas ipsi patiuntur, & periculum lapsus. Circa filias autem non ausim hoc idem injungere eis. Nam ex conditione sui sexus & vivacioris imaginationis maxime timidæ sunt, facileque timentur, aut etiam judicarent, Patri manifestasse suum lapsum, si illi indicarent suam tentationem. Sed super hoc Confessarium prudentem consulant: qui, manifestatis illi circumstantiis prudentiæ, & genii Parentis; quod & filii etiam debebant facere, instruet.

12 Bene etiam asserit, Confessarium non posse cogere, ut domum paternam deferant. Verum cum Confessarius tamquam Judex, & Medicus spiritualis possit cogere pœnitentem ad omne id, ad quod tenetur; insequenter videtur imponi huic obligatio deferendi domum Paternam, cum semper urgeat jus Patriæ potestatis: & continentiam aliis mediis, & præcipue orationibus à Deo impetrare possit. Nec exempla primorum christianorum ad hoc cogunt; cum credere debeamus, illos ad hoc actos fuisse speciali instinctu Spiritus Sancti: sicut Sanctus Alexius absque tali motivo actus fuit ad deferendam sponsam, & Parentes, rediens, & mo-

moriens ignotus in ipsa domo pater-
terna, ut Deus talia in ipso ope-
rans glorificaretur.

S. IV.

Quid si Paterfamilias esset scandalum?

13 **H**ucusque dicta procedunt,
dum Paterfamilias recte
se gerit. Sed tanta est nostræ naturæ
corruptio per peccatum originale,
ut nec mater sit prorsus libera à
suspensione sceleris, ut supra vidi-
mus, ex cap. 1. de *Cohabitat. Cler.*,
& *Mulier*. Si ergo Pater, aut tutor,
aut Dominus, scandalum generet filia,
Nepti, aut pupillæ, seu Dominus an-
cillæ; hæc possunt, & debent fugere,
ut bene docuit Navarrus in *Manuali*
cap. 16. num. 21. Quod, quantum
ad uxorem, quæ per naturam, &
per divinam commendationem in

Sacris Scripturis adeo conjuncta de-
bet esse viro, sicut è converso, pro-
bat ex cap. *Idololatria 5. caus. 28.*
q. 1. Sed in Decreto correcto jussu
Greg. XIII. dicitur illud non inve-
niri in Sancto Augustino loco ibi
citato, sed apud Hermem in lib.
Pastoris, mandato 4: in Augustino
autem inveniri illam doctrinam lib.
2. de *Adulterinis conjugis*. Quantum
ad ancillam posse fugere à Domino,
probat argum. ex leg. *Justissime*,
ff. *De Edili Edicto*, ubi decernitur,
posse Dominum compelli, ut illam
alteri vendat, si illam crudeliter
tractat. Multo ergo magis, si ea
inhoneste abutatur, argum. ex cap.
Præcipimus 24. caus. 12. q. 1., ubi
ex canonibus Apostolorum dicitur:
Quod si animæ hominum pretiosio-
res Episcopo sunt creditæ, multo
magis oportet, cum curam pecu-
niarum gerere.

ARTICULUS V.

CASUS ALIQUI RESOLUTI A NAVARRO:
sed, magna cum reverentia tanto Doctore debita, correcti
à Mag. Fr. Ludovico Lopez.

1 **Q**uestione 1. art. 1. vidimus
correctam à Lopezio, ap-
probante Mag. Prado, dif-
finitionem traditam à Sapientissimo
Navarro, de occasione proxima ne-
cessario vitanda. Ex hac autem dif-
finitione Navarrus in eodem *cap. 3.*
Manualis Latini plura corollaria in-
tulit, quæ præfatus Mag. Lopez in
suo *Instructorio Conscientiæ, part. 1.*
à *cap. 21.* necessario corrigenda du-
xit: & nos judicamus has etiam
correctiones apponere, ne aliquis

authoritate tanti Doctore, qualis
fuit Navarrus, fallatur in causa adeo
gravi, ex qua potest pendere salus
animarum.

2 Igitur Navarrus, antequam
ad corollaria procedat, num. 15,
quatuor in pœnitente exigit con-
ditiones, ut Confessarius possit illum
absolvere, etiam si occasionem pro-
ximam peccandi mortaliter non de-
ferat. 1. Vera pœnitudo præterito-
rum peccatorum. 2. Verum propo-
situm non peccandi, cum se inve-

netit in illa occasione. 3. Credulitas, quod Deo adjuvante, in ea non peccabit. 4. Quod subsit aliqua rationabilis causa non se separandi ab illa occasione. Ex quibus conditionibus, non omnes requiritur in omnibus casibus quos resolvit, sed ex sua diffinitione infert.

3. In primo Corollario *num.* 17. asserit Navarrus, absolvi posse cum illis quatuor conditionibus peccantem, qui est in occasione proxima: Et fundat in eo, quod per Canones juncti matrimonio, inventa impotentia, possunt sic manere ut frater & soror: & in eo, quod magis debemus cavere peccatum, quam occasionem peccandi.

4. Sed Lopez asserit, hoc universaliter non esse verum, quia tanta potest esse fragilitas delinquentium, & tanta experientia lapsus, ut illi occasione se exponere, credendo à Deo esse adjuvandum, sit tentare Deum. Casus autem particularis positus à Navarrò, & correctus à Lopezio, est, dum adolescentes versantur inter fœminas, non in eadem domo habitantes, sed ementes, vendentes, laborantes, & conversantes. Ad fundamentum ejus bene respondet, Canones hoc permittere, quando non timetur prudenter caste non esse victuros: sed periculum probabile peccandi mortaliter sub mortali esse cavendum.

5. Navarrus *num.* 19. asserit, concubenarios occultos posse absolvi cum illis quatuor conditionibus: sed absolute debet dici, juxta Decreta Innoc. XI., non posse absolvi.

6. In sexto Corollario asserit, concubinam occultam posse admitti, ut suum concubinarium moribundum exhortetur ad pœnitentiam. Sed consultius est, ut nullo modo ante ipsum appareat.

7. Num. 20. asserit, posse absolvi hospitem, quæ, quoties talem hospitem recipit, occulte cum illo peccat, dummodo promittat illum amplius non recepturam: immo si promittat nunquam solum cum sola in eodem cubiculo manere. Sed Lopez admonet Confessarium, ut ab ea inquirat, qualiter postea cum exceperit post tot promissiones? nam in conditione humana, adeo fragili, possibile est, & magis regulare, cum exceperit cum gaudio, ampliusque cum eo peccasse: unde eam non absolvat.

8. Num. 21. ait, posse absolvi etiam quater, concurrentibus præfatis conditionibus, & aliqua præcedente emendatione, cognatas, ancillas, famulas. Sed Lopez distinguit de illis, quæ sunt sui juris: & de his negat, cum possint libere separari; & concedit de his, quæ non sunt sui juris. Sed, ut vidimus in Præludio, S. Borromæus his tantum concedit pro prima vice: sed pro aliis ait differendam esse absolutionem. Sed, ut adnotavit Cajetanus, præceptum Domini de tollendo scândalo intelligitur, quando hoc est sub nostra potestate: unde, & S. Carolus intelligendus est, quando nulla adest emendatio. Si autem adest in his, qui non sunt sui juris, poterit aliquando absolutio imperitari, si adsit propositum efficax affective non peccandi, ne desperent.

9. Num. 22. ait, occulte peccantem, aut tactus impudicos habentem cum consanguinea, aut alia in distincta domo habitante, posse absolvi, etiam sine proposito non ingrediendi talem domum, dummodo proponat, se cum illa non extitutum in eadem camera solum cum
sola

sola absque gravissima causa, diciturumque illi, se Confessum fuisse de peccatis præteritis, proposuisseque non amplius ea committere, rogareque ipsam, ut idem faceret. Sed Lopez absolutionem negat, si non proponat, amplius non ingredi talem domum, maxime si visitatio talis faminae duravit per diuturnum tempus.

10 Num. 23, & 24, recte procedit negans absolutionem Magnatibus assidentibus mensæ Reginae, & impudice colloquentibus cum ejusdem spheræ faminis, etiam ordinando hoc ad matrimonium: *Quia semper* (inquit) *actū peccant*: Idem de Rusticis, qui in choreis solent in gremio adolescentularum quiescere.

11 Num. eodem 24. §. *Undecimo*, ait, *si post contractum*, in facie Ecclesiæ matrimonium agnoscatur impedimentum dirimens, & ex separatione sequatur grave incommodum; posse sic manere, donec adveniat dispensatio. Sed Lopez negat, si probabile sit periculum incontinentiæ.

12 Num. 25. ait, posse absolvi, qui ob esum calidarum rerum incidit in adeo graves tentationes, pollutiones, aut fornicationes, quibus succumbit, etiam si non proponat deinceps non sic edere, & desit tertia conditio, idest necessitas sic comedendi. Ad quæ Lopez, licet primo videatur Navarro consentire; postea melius cum Mag. Soto, in 4. sent. ait, quod tentationibus carnis divexatus tenetur se præcationibus, & aliis remediis adversus illas armare, & nonnumquam corpus macerare, & tanta potest ingredi necessitas, & tanta esse negligentia, ut talis negligentia sit mortalis. Ideo, si aliis tentatis re-

mediis, nullum inveniatur, & hoc solum præsentaneum adfit ad non consentiendum pollutionibus ex esu talium ciborum excessive, & extraordinarie calidorum, frequenter provenientibus; teneretur ab illis abstinere. Quia si teneretur in isto casu macerare carnem, ut illos motus coerceret; postquam neque maceratio carnis, neque aliud remedium invenitur prodesse, videtur quod successio causæ, quæ minus est, quàm maceratio carnis, assumenda sit. Quia qui tenetur extinguere flammam ignis, si alia via non potest, tenetur ignem extinguere, subtrahendo ligna. Quæ doctrina profus placet.

13 Num. 26. Concedit absolutionem amplectenti pro more Patriæ faminam cum libidiosa delectatione, & cum eadem libidine ducenti cum ea choream, aut fabulationem, etiam si non proponat ab his abstinere de cætero; si adsint saltem tres priores conditiones. Sed Lopez ex Cajetano, & Silvestro de Choreis, hæc corrigit tamquam profus falsa. Verum est, quod famina pro more Patriæ amplexata à viro, licite potest, quando hoc in publico fit, & coram aliis, amplexum non repudiare, sicut nec Christus exclusit Judam à Communionem; etiam si faminae nota jam esset prava intentio amplectantis. Sed in secreto deberet repellere ejus amplexum.

14 Num. 27. concedit absolutionem personæ, quæ ex eo, quod ducat, aut ducatur ab alia manu; vel videnti faminas se lavantes in flumine, vel viros natantes, aut ex aspectu pedum, crurium, pectorum, cinctuum, brachiarum, perizomatium, aut aliorum ejusdem generis, peccavit sæpius, etiam sine propo-

sito cavendi has occasiones. Quamquam optimum esset ab iis cavere, quando non sequeretur notabile damnum. Sed Lopez recte hoc negat: quia ut vitetur occasio, non requiritur, quod homo in ea semper peccet, ut jam vidimus; & vitari debet, etiam si sequatur notabile damnum temporale.

15 Num. 26. §. *Decim.* concedit absolutionem fœminæ, quæ ex eo, quod infundit Clysteres viro, saltem morosis delectationibus sæpe mortaliter peccavit; aut viro idem patienti dum infundit fœminis: Chirurgus, vel Medicus, qui ex eo, quod medendo fœminas in locis secretioribus, sæpe peccaverunt mortaliter. Sed Lopez hoc negat bene, asserens hæc officia debere relinquere aliis, qui fragiles non sint, & sine peccato illa exercent: quia ut docuit D. Thom. licet laudabile sit exponere bona nostra temporalia periculo propter spiritualia bona proximi; tamen valde vituperabile est, si quis bonum animæ pro bono corporali alterius periculo exponat. Sed quid, si periculo mortis fœmina esset exposita, si chirurgus ei non mederetur; periculum autem evaderet, si medicina ei adhiberetur, nec tunc alius esset chirurgus? Videtur dicendum, chirurgum dirigere posse, sine inspectione, aut tactu, & executionem committere fœminæ, quæ aptior videatur. Quod si chirurgus in aliis similibus casibus non est expertus fragilitatem, & lapsum,

bona fide procedat commendans se Deo, & suum officium exequatur.

16 Lopez *cap. 25.* corrigit etiam, quod Navarrus, eodem *num. 26. §. Decima quinta*, asserit de Confessario peccante quoties audit talem pœnitentem, & pœnitente quoties confitetur cum tali Confessario; nempe, posse absolvi, si sine magna nota non possunt ab his desistere. Deinde §. *Insuper*, agit de prava consuetudine jurandi cum periculo pejerandi; cum sæpe sine consideratione juret: quibus ait negandam esse absolutionem; nisi acceptent remedia sibi injuncta, & emendantur. Idem de blasphemo, qui in aliis confessionibus relapsus est: quem, cum Methina, relinquat Confessarius sine absolutione, ut per aliquot dies huic consuetudini resistat: & idem dicendum de juratore. Emendatus autem absolvatur. Hanc jurandi consuetudinem reprehendit S. Aug. in illo Serm. 28. tom. 1., cujus non semel meminimus, ponderans illam sententiam Jacobi Apostoli, in sua Catholica *cap. 5. v. 12.* *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per Cælum, &c. sit autem sermo vester: est, est: non, non: ut non sub judicio decidatis.* Quod eidem verbis injunxit nobis Dominus *Matth. 5. v. 34*, quia ad consuetudinem, absque necessitate, jurandi, facillime sequuntur perjuria: quia facile surrepiti fallacia.

QUÆSTIO III.

DE ABSOLUTIONE IMPERTIENDA, NEGANDA, aut differenda.

ARTICULUS I.

RESOLUTIO JUXTA REGULAS

Sancti Borromæi.

I. **N**eganda est absolutio non habenti sincerum propositum vitandi peccatum mortale, & occasionem proximam ejus.

II. Non debet absolvi concubinam retinens domi, aut in alia domo, semper paratam, nisi prius illam ejiciat.

III. Profitentes ludos aleatorios, v. g. chartarum, & taxillarum, & domum in hunc finem habentes, non absolvantur, donec promittant sincere hæc dimittere. Quod si jam promisserunt, nec emendati sint, tandiu absolutio differatur, donec Confessarius emendationem perspexerit.

IV. Qui non sunt sui juris, ut filii, & filiae, licet & ille, qui tenetur sustentare Parentes, potest absolvi pro prima vice sui lapsus in occasione proxima, si acceperit medicinas spirituales contra relapsum. Si autem postea relabatur, differatur absolutio, donec emendetur: vel saltem emendationis notabilia signa det; magis, magisque, in dies majora.

V. Exercens officia necessaria Reipublicæ, ut negotiationem, militiam &c., & ex prava consuetudine, aut sua fragilitate, in illis peccans, injustitiis, blasphemis, furtis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & similibus; non absolvatur, nisi Sacerdos prudenter judicet, poenitentem in similia non relapsurum, etiam si hoc promittat. Nec tamen cogendi sunt propositus officium dimittere: sed permittantur actus illi, in quibus non solent peccare.

VI. Artifices in diebus festis laborantes non sunt capaces absolutionis, si ab hoc desistere serio non promittant.

VII. Consuetudinariis peccatoribus, blasphemis, scilicet, detractoribus, lascivis, turpiloquis, & similibus, differenda est absolutio, donec emendatio appareat: & maxime juvenibus otio deditis, & his, qui semel tantum in anno confessionem facere solent.

ARTICULUS II.

UTRUM CONFESSARIUS POSSIT, AUT DEBEAT
recipere ad confessionem Pœnitentem, qui asserit, se
à tali peccato mortali non posse abstinere?

Ratio dubitandi fummitur ex dicto perdocti D. Gonzalez, insignis Decretalium Commentatoris, super cap. *Quod quidam* 5. de Pœnitentiis, & remissionibus: ubi inquit: *difficilis admodum est præsens Alexandri decisio.* Idemque videntur sentire Recentiores Theologiæ Moralis Scriptores, apud quos fere nulla memoria extat præfati cap. & Decisionis Alexand. III.

2 Sed talem Decisionem utilissimam esse videtur aperte constare, cum ex autoritate edentis illam, nempe, Alexand. III, respondentis ad Episcopum Belvacensem: Fuit namque Alex. III. unus ex Sapientissimis Summis Pontificibus Ecclesiæ Dei, integerrimæ vitæ, qui inter schismata per unum supra viginti annos Pontificatum gerens, totidem Decretalium libros edidit; licet perierint majori ex parte, ut de hoc dolens ait Baronius. Tum ex Compilatore librorum quinque Decretalium, nempe S. Raymundo de Peñafort, cui Greg. IX. tamquam Sapientissimo hoc commisit, ejus judicio relinquens, quantum in illo libro collocarentur, etiam ex Conciliis non Generalibus, authorizanda ab ipso Greg. IX. Non enim incredibile est Sapientissimum Virum apposuisse Decisionem, quæ in Ecclesia utilis non esset.

3 Igitur Alexand. III. in laudato cap.: sic inquit: *Quod quidem*

ad Confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse; Consultationi tuæ taliter respondemus, quod eorum confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere: quia licet non sit vera hujusmodi pœnitentia; admittenda est tamen eorum confessio, & crebris, & salubribus monitis indicenda pœnitentia. Hæc Alexand. III. juxta quæ statuantur sequentes Conclusiones.

I. Regula hic tradita utilissima est, & ad praxim merito ducenda. Ita Sap. Mag. Cano, in *Relect. de Pœnitentia, part. 5.*, in Editione Complutensi an. 1563. fol. 42. §. *Ad hoc respondetur.*

II. Hoc intelligitur, si pœnitens accedat animo humiliandi se, & capiendi consilium à Sacerdote: secus si animo accipiendi absolutionem, manendo in tali statu; quia tunc esset sacrilegus.

III. Etiam in Confessione annuali, & dum obligat Communio Paschalis, potest sine novo peccato sic accedere ad Confessionem, & Sacerdos debet eum recipere. Probatur ex cap. *Omnis utriusque sexus* 12. eod. titul. ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III.: ubi præcipitur annua Confessio, & Communio Paschalis; sed subditur: *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

IV. In

IV. In tali casu, positive non adimplet præceptum Confessionis annuæ, & Communionis Paschalis: quia ejus Confessio non fuit vera pœnitentia, nec per illam recepit Sacramentum Pœnitentiæ: nec absque magno sacrilegio potuisset recipere Sacramentum Eucharistiæ.

V. Sed non incurrit in pœnas latas in præfato cap. & Concilio Lateranensi: nec in Excommunicationem, si quæ lata est in aliquo Episcopatu contra non communicantes in Paschate. Quia jam obedivit præcepto Ecclesiæ præsentando se proprio Sacerdoti, & ex ejus consilio distulit.

VI. Tempus dilationis non determinavit Concilium Lateran. sed

reliquit prudenti arbitrio Sacerdotis.

Nec ab his prorsus recedit laudatus D. Gonzalez: nam post plura sic ait: *Nisi dicamus, in præfenti Cap. non de Pœnitentia Sacramentali, sed salubri. Unde ait Alexander in præfenti: salubribus Consiliis, & monitis, esse similes pœnitentes adjuvandos.* Sed nota, quod licet talis Confessio non sit vere Sacramentalis quantum ad fructum; est tamen vere Sacramentalis quantum ad sigillum: & sacrilegus esset Sacerdos, pœnisi quæ frangentis sigillum subiectus, si Pœnitentem sic consistentem proderet, quod ex toto contextu præfate Decretalis, responsioque ad consultationem Episcopi satis aperte colligitur.

ARTICULUS III.

UTRUM CONFESSARIUS TENEATUR ABSOLVERE Pœnitentem manentem in occasione proxima peccandi mortaliter, eo quod judicat hoc sibi licere juxta opinionem probabilem, quam Confessarius judicat esse falsam?

§. I.

EXPONITUR TITULUS.

PRæscindit hæc quæstio ab illa gravissima de licita, aut illicita sequela opinionis probabilis faventis libertati in conspectu probabilioris extantis pro lege. Mihi quidem magis probatur hæc secunda sententia, & inter alia maximi ponderis est causa finalis allata in proximo Decreto Alexand. VII. 7. Septembris 1665: & 18. Martii 1666. ad damnationem propositionum in puncto doctrinæ moralis, expressa in illis verbis: *Idem SS. D.*

Noster, ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastoralis sollicitudine evocaret, &c. Nam quæro: Quos in perditionem ducebant illæ 45. propositiones damnatæ per illa Decreta? certè non illos, qui ad præxim eas non ducebant. Nec illos, qui post earum damnationem illis usi sint tamquam regulis suarum operationum. Neque enim credibile est, ullum Catholicum sic se gefisse: ergo ducebat in perditionem illarum praxis, quando ante earum damnationem exhibebantur ut probabiles, & tamquam regula, juxta

quam licita esset operatio. Quibus additur, in Decreto Innoc. XI. 2. Martii 1679. sic legi; *Non intendens tamen sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.*

2 Sed ab his modo præscindimus: sicut ab illa quæstione 36, quam Illmus. Palanco, in suo tractatu de *Conscientia* intulit, inquirens: *An Confessarius possit, vel debeat absolvere Pœnitentem, qui sequitur opinionem sibi contrariam?* Limitatio namque est præsens nostra quæstio, restricta ad existentem in occasione proxima peccandi mortaliter, eo quod iudicat hoc sibi licere juxta opinionem probabilem; cum tamen citra peccatum, & alicujus injuriam, posset illam occasionem deserere: etiam dato, quod illa opinio, quam sequitur, in re sit vera.

§. II.

RESOLUTIO.

3 **P**rima Conclusio: Qui sic manet, novum peccatum non committit, maxime si opinio, quam sequitur, est in re vera: & stando his, à quibus diximus modo præscindere.

Secunda Conclusio: A peccatis, si quæ commisit ex illa occasione, quam licite potuit deserere, non debet eum absolvere.

4 Hanc Conclusionem tamquam certam supponit Illmus. Palancus loco laudato, ubi §. 1. inter notabilia adnotans casus, in quibus Confessarius non tenetur stare opinioni Pœnitentis, sed propriam debet sequi, num. 5. exhibet quæstionem de occasione proxima, cum illa de periculo probabili, de

consuetudine peccandi, de sufficienti, vel insufficienti examine conscientie præmissio, de scientia doctrinæ Christianæ, & obligationum proprii status.

Et ratio sumitur ex differentia inter opiniones versantes circa contractas, aut alia, & opiniones circa occasionem proximam: quod, cum ob imbecillitatem nostri intellectus multa falsa sæpe appareant probabiliora veris, ut dixit Philosophus; Confessarius, qui relinquit pœnitentem in praxi suæ opinionis probabilis, non relinquit illum in periculo certo incurrendi in malitiam adhuc pure objectivam; quia forte illa opinio minus probabilis in re est vera. At opinio tenens, huic homini hic & nunc licere ingeri; vel manere in periculo, & occasione proxima peccandi mortaliter, licet juxta admissa hominem liberet à novo peccato; relinquit tamen hominem in periculo, & occasione certa peccandi mortaliter: neque enim per orationes à tali periculo liberatur: Immo, ut vidimus *quæst. 2. art. 1.*, & denuo ex Mag. Ludovico Lopez, hoc est tentare Deum. Confessarius autem tamquam Medicus spiritualis tenetur pœnitentem statuere liberum à relapsu in peccatum mortale, & damnatione æterna, si forte tunc moriatur absque fructuosa pœnitentia.

6 Explicatur. Ex eo quod fit probabilis assertio, licite posse hominem ingeri, aut manere in tali occasione proxima operandi aliquid, quod ex se sit peccatum mortale; ad summum sequitur, juxta in præsentem admissa, quod talis homo non peccet ingerendo se, vel manendo in tali occasione proxima: probabilitas autem talis opinionis non tollit,

tollit, nec impedit influxum, quem objectum externum, v. g. femina, pulchra, exercet in positum in tali occasione, alliciens, & quasi violenter movens ad actus libidinosos cum illa: ergo si Confessarius novit illum hominem talia peccata commisisse ex eo quod erat in tali occasione proxima, juxta illam opinionem probabilem, & absolvit illum, relinquit illum certo expositum relapsui, contra officium quod tunc exercet judicis, & medici spiritua-

lis. Debet igitur illum non absol- vere, donec deserat talem occasi- onem proximam.

Forfan aliquis objiciat: hinc sequi, nec illos, qui non sunt sui juris posse absolvi adhuc in illa forma, qua dictum est in articulo, in quo tractatum est de ipsis. Sed respon- detur, illos non posse deserere occa- sionem proximam, eo modo, quo ibi est expositum. In presenti au- tem sermo est de his qui possunt illam deserere.

ARTICULUS IV.

*VALIDISSIME ROBORANTUR DICTA IN HAC
dissertatione insigni doctrina Sanctissimi, ac Sapientissimi
Archiepiscopi Valentini, Complutensis primum, deinde nostræ
Salmanticensis Universitatis clarissimi luminis, Ordinis Eremitarum
S. Augustini splendidissimi jubaris, D. Thomæ de Villanova,
ex Sermone Ferie VI. in Dominica IV.
in Quadragesima.*

AGIT in illo ad morum ædifi- cationem de interceden- tibus in resurrectione Lazari, prout referantur à S. Joann. Evangelista Cap. XI: & ut ipse in Epilogum ea reducit, tangit sex: quæ sunt, pia Patronorum interpellatio: amara delictorum contritio: diligens passio- num curatio: clara peccatorum Con- fessio: efficaciæ Sacerdotum absolutio: & pœnitentis debita satisfactio. De his omnibus egregie disserit. At nos- træ dissertationis argumentum tantum congruunt ea, quæ permovent, ut ponatur efficaciæ à Sacerdotibus ab- solutio: cujus occasione nonnihil di- cetur de pœnitentis debita satisfac- tione.

S. I.

*Acrius invectionio in manentes, aut non
arcentes ab occasione proxima
peccandi lethaliter.*

Differens igitur super illis ver- bis Domini: „Lazare veni
„foras: Exi foras: (clamat) non so-
„lum à delicto, sed etiam ab occa-
„sione, & delinquendi proposito.
„Quidam enim ad modicum in
„Quadragesima peccata deserunt,
„sed peccandi propositum nun-
„quam dimittunt. Quidam cum
„peccatis etiam propositum peccan-
„di reliquisse, sibi videntur: sed
„occasionem delinquendi non fugiunt.

N2

Hi

„ Hi non suscitantur, quia non om-
 „ nino foras exeunt. Angeli, qui in
 „ Sodomorum subversionem destina-
 „ ti sunt à Deo, Loth dissimulantem,
 „ extra Civitatem, & suburbium ex-
 „ trahentes comminati sunt, ne in
 „ omni circa regione permaneret,
 „ sed in monte salvum se faceret;
 „ typicè per hoc designantes, ut
 „ quisquis divinam ultionem evade-
 „ re procurat, exeat à peccato,
 „ exeat à peccati suburbio, idest
 „ proposito: exeat à peccati regio-
 „ ne, idest, peccandi occasione: ne-
 „ que post tergum aliquando respi-
 „ ciat, neque in humili conversa-
 „ tione, idest, seculari permaneat,
 „ sed virtutis culmen cum omni ce-
 „ leritate conscendat.

3 „ Cum Ninive Civitatis ex-
 „ cidium per Prophetam Dominus
 „ comminaretur, jejunaerunt in-
 „ colæ, planxerunt, vestiti sunt sac-
 „ cis, in cinere sederunt, cum la-
 „ crymis clamaverunt. Sed quid ait
 „ Scriptura? Et vidit Deus opera
 „ eorum, quoniam conversi sunt de
 „ via sua mala, & misertus est su-
 „ per malitiam, quam locutus fue-
 „ rat, ut faceret eis, & non fecit.
 „ Non ait, vidit gemitus, vidit la-
 „ crymas, vidit saccos, vidit cinea-
 „ res; sed quid vidit? Opera eorum,
 „ quod conversi sunt à via sua mala.
 „ Si vitia non deseruntur, frustra
 „ Dei misericordia imploratur: frus-
 „ tra enim oculus plorat, si animus
 „ in crimine perseverat. O pecca-
 „ tor, si vere ploras, veni foras:
 „ fuge concupiscentiam, dimitte las-
 „ civiam, expelle mulierculam, sol-
 „ ve catenam: alias non credo ver-
 „ bis, non credo lacrymis. Funicu-
 „ lus triplex malæ inclinationis, pra-
 „ væ consuetudinis, violentæ occa-
 „ sionis, difficile rumpitur. Miracu-

„ lum grande est, ut habens juxta
 „ se mulierem, non tangat eam: &
 „ utique qui tangit picem, inquinat-
 „ bitur ab ea. In sinu tuo carbones
 „ foves, & tuum non comburetur
 „ veltimentum? Etiam si millies ju-
 „ raveris, etiam si obtelando pro-
 „ misseris, numquam tibi credam.

4 „ Illum autem, qui à Do-
 „ mino vivificatus, desiderio salutis
 „ à vitiorum sepulchro foras egre-
 „ ditur, vos o Sacerdotes solvite,
 „ & finite labire. Cavete, ne eum
 „ in sepulchro solvatis; prius exeat,
 „ ut solvatur. Nunquid narrabit ali-
 „ quis in sepulchro misericordiam
 „ tuam, aut veritatem tuam in per-
 „ ditione? Nunquid mortuis facies
 „ mirabilia, aut medici suscitabunt,
 „ & confitebuntur tibi? (Psalm. 87.)
 „ Non suscitatur à sepulchro medicus,
 „ sed Deus: sed quem suscitatur Deus,
 „ hunc solvit medicus. Prius ergo
 „ vadat, & concubinam à domo
 „ pellat, pecuniam alienam resti-
 „ tuat, contractus usurarios rum-
 „ pat, famam proximi læsam, prout
 „ potest, resarciat, mercenariorum
 „ labores, & pauperum debita sol-
 „ vat, offenso fratri reconcilietur, &
 „ veniam petat: & tunc ad Confes-
 „ sarium redeat, & absolvatur.

5 „ Hic rectus est ordo, hic
 „ in Lazari suscitatione à Domino
 „ servatus est, hunc ordinem ne
 „ transgrediaris. O medice, cur se-
 „ tentem solvis? Cur indigno ve-
 „ niam promittis? Cur cui absolu-
 „ tionis beneficium exhibeas, non
 „ discernis? Duas tibi Dominus cla-
 „ ves dedit, unam discernendi, al-
 „ teram judicandi, absolvendi scili-
 „ cet, & ligandi: & tu sine discre-
 „ tionis examine neminem ligas, om-
 „ nes absolvis, una tantum clave,
 „ neque integra quidem uteris, sed
 „ di-

dimidiata. Heu! heu! ventrem meum doleo: (Hierem. 4.) in domo Dei horrendum vidi , pastores Domini sui oves jugulantes: medicos populi sui agrotos occidentes: iudices turpiter blandientes : censores flagitia palpantes : cæcos gregem Domini dirigentes.

6 „ An non horrendum hoc ? „ Hi sunt prophetæ mendaces, in quos Dominus per Prophetam invehitur dicens : Eo quod deceperint populum meum dicentes : pax , pax , & non est pax : & ipse ædificabat parietem , ipsi autem liniebant eum luto absque paleis. (Ezech. 13. v. 10.) „ Et infra (v. 18.) Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas populi mei : & cum caperent animas populi mei , vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei , & fragmen panis , ut interficerent animas , quæ non moriuntur , & vivificarent animas , quæ non vivunt , mentientes populo meo credenti mendaciis. Et per alium Prophetam (Jerem. 6. v. 13.) apertius. A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student. A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum : & curabant contritionem filiarum populi mei cum ignominia , dicentes , pax , pax , & non erat pax : confusi sunt , quia abominationem fecerunt : quin potius confusione non sunt confusi , & erubescere nescierunt.

7 „ O miseri animarum , non curatores , sed interfectores , non Consultores , sed Deceptores ! Quid respondebitis Domino pro grege , quem vestris blanditiis decepistis : veltris consiliis jugulastis ? Quid Ecclesiam Domini hodie perdit , nisi

Confessariorum , & Pastorum blandiens adulatio : delinens , demulcensque assentatio ? Væ miseris ! non agnitivum , sed contritionem , ac confessionem peccatorum curant , quam augere debuissent , promittentes pacem , quibus non est pax , & veniam , quibus æterna damnatio parata est. Parvum est (inquirunt :) nimirum humanum est peccare : quis est homo qui non peccat ? Facilis est venia : ne tristeris , ne doleas : confessus es , absolutus es , sufficit tibi ad salutem. Vive lætus , Domini Sacramenta suscepisti , sine dubio salvaberis. Sic animas mortuas , & securas à suis pedibus mittunt , tanto miseriores , quanto securiores : vulnera liniunt , vermem conscientie extinguunt , stimulum peccati auferunt , & securos peccatores ad inferna demittunt : qui si timorem populo incuterent , forsitan illum à vitiis revocassent.

8 „ Cui comparabimus adulatores istos , aut cui assimilabimus eos ? Similes sunt profecto hominibus , qui à ripa pereuntibus in flumine manum porrigunt , & violentia fluminis ipsi cum aliis demerguntur. Unde aptissime sequitur in Propheta : (ibidem v. 15.) Quam ob rem cadent interruentes in tempore visitationis suæ. „ Corruent , dicit Dominus : pondere namque peccatorum assentatores suos post se peccatores in præcipitia rapiunt , & secum ad inferna deducunt. Hæc contra quosdam Confessarios nostri temporis pie impios , & impie pios dicta sunt : qui ne contentem aliquantisper contritent , illum in sua nequitia manere permittunt. At quanto melius esset ad modicum contristare , quam in æternum damnare. Apostolum audiamus (2. Corinth. 7. v. 8.) Et si contristavi vos in epistola , non me penitet : nam &

33 & si ad horam epistola illa vos con-
 33 tristavit, nunc gaudeo; non quia
 33 contritasti estis, sed quia contritasti
 33 estis ad penitentiam. Ecce enim hoc
 33 ipsum secundum Deum contritavi
 33 vos, quantam in vobis operatur so-
 33 licitudinem, sed defensionem, sed in-
 33 dignationem, sed timorem, sed desi-
 33 demum, sed amulationem, sed vin-
 33 dictam. Hæc omnia bona tristitia
 33 quæ secundum Deum est, operatur
 33 in homine. Hæc SS. Archiepiscopus
 33 Valentinus.

§. II.

*Præcedens invectio ex animo summe
 benigno prodit.*

9 **A**T ne aliquis videns hunc Sanc-
 33 tissimum Patrem adeo acriter
 33 invectum in Confessarios con-
 33 venientes Penitentibus, illum recenseat
 33 inter rigoristas; legat postremam pe-
 33 riodum, qua invectionem terminat;
 33 & in eadem percipere incipiet viscera
 33 misericordiae ejus, ac benignitatis tan-
 33 tæ, ut non excludat expositorem, qui
 33 germanum verborum ejus sensum ex-
 33 plicet, & monstrat, à praxi Ecclesiae
 33 statuta in Tridentino, sess. 14. nulla-
 33 tenus recedere. Sic enim immediate
 33 ad verba jam producta, incipiens age-
 33 re de Penitentis debita satisfactione,
 33 subdit.

10 33 *Non te pigeat, o sacerdos,*
 33 ægros moribus sic contristare. Nolo
 33 tamen, ut in penitentis injungen-
 33 dis, plus æquo severior sis. Dictum
 33 Domini (Matth. 23.) Salvatoris Nos-
 33 tri memorare: alligant onera gravia,
 33 & importabilia, & imponunt in hu-
 33 meros hominum, digito autem suo
 33 nolunt ea movere. Unde, & nunc ad
 33 Apostolos ait: solvite, & finite abire.
 33 Ac si dicat: Non penitentia eos gra-
 33 vetis, non austeritate terreatis: nam
 33 in actione penitentiae non tam at-

33 tenditur quantitas rigoris, aut tem-
 33 poris, quam doloris.

11 33 *Contritio peccatum tollit,*
 33 gemitus, & lacryma crimen abluit.
 33 Peccatorem Sacerdotis absolutio
 33 solvit, exterior autem pena, & de-
 33 precatio sumit iustam vindictam, &
 33 peccatori affert medicinam. Cor
 33 contritum, & humiliatum Deus non
 33 despicit. Confitentis adversum se in-
 33 justitiam suam, ipse peccati impieta-
 33 tem remittit. Qui peccata sua ele-
 33 mosynis redimit, qui saccum, & ci-
 33 nerem sternit, qui humiliat in jeju-
 33 nio animam suam, & orationem fun-
 33 dit coram Altissimo; ipse immuta-
 33 bilis Dei prævenit judicium, & ut
 33 ita dicam, mutat sententiam, &
 33 plenam assequitur peccatorum ve-
 33 niam.

12 33 *Quæ licet ita sint, satius*
 33 tamen judico, cum modica peni-
 33 tentia animas ad purgatorium re-
 33 mittere, quam propter penitentia
 33 rigorem damnationis periculo eas
 33 exponere. Nam penitentia pro mor-
 33 tali, si acceptatur, obligat ad effec-
 33 tum. Sic itaque rigorem peniten-
 33 tia temperato, ut neque levitas de-
 33 lecti contemptum, nec gravitas
 33 omittendi periculum penitenti
 33 erect. Hæc judicio meo ita perfici-
 33 cies, si facilem unam injunxeris, &
 33 acriorem alteram peccatori consu-
 33 lueris: ita tamen, ut ad omnem ejus
 33 voluntariam, & spontaneam peni-
 33 tentiam Sacramenti applies effi-
 33 cacia: non nihil enim ex hac appli-
 33 catione illi accrescit. Hæc sunt pec-
 33 toris indurati remedia: quæ si fe-
 33 cerit, sicut dictum est; quamvis qua-
 33 triduanus, quamvis sepultus, &
 33 fæturus, poterit à peccato suscita-
 33 ri, & Beatorum felicitate potiri. Hæc
 33 SS. ac Sapientissimus Presul Valen-
 33 tinus.

S. III.

Profata doctrina consona est praxi statuta
in Tridentino.

13. **F**ervente charitate fidelium in primitiva Ecclesia, pollebat rigida disciplina statuta per Sacros Canones pœnitentiales: quos applicatos singulis peccatis contra Decalogum affert Natalis Alex. de Sacram. Pœnit. cap. 6. art. 7. Licet namque Ecclesia hunc rigorem remitterit, oportet tamen Confessariis esse notos, ut pœnitentibus significent, quam in hac vita debeant agere pœnitentiam, si à gravioribus penis in Purgatorio luendis volunt liberari. Fuerunt quidem aliqui antiqui Theologi, sentientes, pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam injunctam à Confessario. Verum hæc opinio nedum prius antiquata est, verum videtur expresse reprobata in Trident. sess. 14. cap. 8.

14. Cujus doctrinam proculdubio vidit S. Thomas de Villanova. Nam illa Sessio celebrata fuit sub Julio III. anno 1551. & ipse ad superos evolavit anno 1554. Licet autem Decreta sancita sub Paulo III., Julio III. & Pio IV., solemniter tantum promulgata sint, postquam ad petitionem ipsius Concilii, confirmata sunt per Pium IV. anno 1564.; anxie desiderabantur in toto Orbe Christiano sancita in singulis sessionibus, & saltem Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis nota erant. Vere autem humilis, & Ecclesiæ Decretis obsequentissimus correxisset, si aliquid illis minus consonum esset in suo Sermone.

15. Dirigit in illo eos, qui robusto corde volunt in hac vita pœne satisfacere pro suis peccatis, exhibens illis tres satisfactionum opera juxta praxim Ecclesiæ: jejunia, scilicet, fletus, & lacrymas, elemosynas, & ferventes orationes ut vidimus num. 11. Condescendens autem imbecillibus, suadet Confessariis benignitatem juxta doctrinam D. Thomæ quôdlib. 3. art. 28.: satis etiam consonam doctrinæ Servatoris Nostri Jesu-Christi, Matth. 9., ubi cum Scribæ, & Pharisei cum discipulis Joannis ipsi dicerent: cur discipuli tui non jejunant, sicut discipuli Joannis, & Pharisei? discipulos defendit dicens, si gravaminibus non esse assuetos cum eos vocavit, nec nunc gravandos, sicut nemo reficit vestimentum vetus panno novo, quia fieret pejor scissura, nec mittit vinum novum in atres veteres, quia rumperentur, & vinum effunderetur. Quæ exponens ibi D. Thomas ex D. Augustino sic ait: *Imperfectis gravia injungi non debent. Igitur cum isti (Apostoli tunc) sint imperfecti eis jejunium injungi non debet: sic si aliquis habet aliquam consuetudinem vitæ suæ (ex sua specie non moraliter malam) si vis imponere ei aliud jugum, recedit ab eo, quod consueverat, & efficitur pejor scissura.*

16. Nec benignitas est tanta, ut in aliquo recedat à Decretis illius cap. 8.; in quo prudentiæ Confessarii relinquitur injunctio satisfactionis juxta qualitatem peccatorum, & facultatem, seu potentiam, tam physicam, quam moralem pœnitentis: nec tam levis, ut hic gravitatem sui peccati non agnoscat. Quando autem asserit, pœnitentiam injunctam pro mortali, si acceptatur,

ligare ad ejus impletionem, non significat, aut innuit ullo modo, in arbitrio pœnitentis esse acceptare, vel non acceptare satisfactionem injunctam: sed hoc unum tantum innuit, nempe, pœnitentem, audita satisfactione sibi injuncta, si bona fide agnoscat, esse suis viribus imparē, posse humiliter Confessarium rogare, ut leviorē injungat: sicut etiam post acceptatam posset alteri Confessario illa peccata confiteri, propter quæ fuit injuncta, & cum causæ cognitione iste Confessarius posset injungere leviorē, viribus imbecillis pœnitentis proportionatam. Nihil igitur est in Sermone Sancti Thomæ de Villa-Nova præsentis incorruptæ disciplinæ Ecclesiæ non consonum.

17. Quod si jungamus Sanctissimi Archipræsulis doctrinas, quibus ex una parte vehementissime invehitur in Confessarios conniventes pœnitentium peccatis, ex alia autem eos adeo benignos desideret in injungendis satisfactionibus pœ-

nalibus illis, quos viderint imbecilles; patefiet ejus heroica, ac ardentissima Charitas in Deum, & proximos, ipsum adeo ardentem sollicitans ad vitandas Dei offensas, & procurandam proximorum salutem æternam, & non ita anxie curantem de illis liberandis à piacularibus flammis.

18. Alia pro vitatione occasionis proximæ adduci possent, juxta promissa in præcedentibus, ex gravissimis Episcopis. Sed adducta ex Sancto Thoma de Villa-Nova adeo efficacia sunt, ut quos illa non permoverint, sola Dei omnipotentia flectere possit. Finem ergo ponimus huic dissertationi, & toti huic qualicumque opellæ; denuo humiliter subjicientes cuncta in eadem dicta Censuræ, & Correctioni S. R. E. quæ est columna, & firmamentum veritatis: & Deum Optimum Maximum deprecando, ut efficiat, cuncta cedere in ejus gloriam, & honorem, & animarum salutem.

Amen.

FINIS.

IN-

INDEX

CONTENTORUM IN HOC OPUSCULO.

INSCRIPTIO EJUS.

NUNCUPATIO SS. PP. BERNARDO, ET DOMINICO.

LICENTIÆ ORDINIS, ORDINARIÏ, ET REGII CONSILII cum Censuriis, & Approbationibus correspondentibus.

Praefatio ad Lectorem. Pag. 1.

CAP. I.

Prælia communia utrique Dissertationi principali. pag. 3.

Prælium I. De infantia, pueritia, & adolescentia D. Bernardi, ex V. Guillelmo. ibidem.

Prælium II. De integritate vitæ, & magna sapientia Theologica V. Guillelmi. pag. 7.

CAP. II.

Dissertatio prima & præcipua: De mirabili castimoniam facinore operato in D. Bernardo per Dona Spiritus Sancti. pag. 10.

Prælium De Donis. ibidem.

§. I. De Donis in communi. ibid.

§. II. De illis in particulari. pag. 14.

§. III. De Donis consilii, & timoris fufius. pag. 16.

De Dono timoris. pag. 17.

In Christo & in Beatis invenitur proprie fuga à malo peccati audacia, quam exercuit Lucifer. pag. 24.

De Dono consilii ex doctrina P. Suarez consona D. Thomæ. p. 13.

Art. I. An in casu puellæ sit aliquid impudicum inficiens Bernardum? pag. 19.

Tangitur quæst. utrum Deus possit dispensare in præceptis le-

gis naturæ? Resolvitur regula D. Thomæ. n. 5.

§. II. Si fuit aliquid impudicum, narratio est falsa. n. 9.

Nihil fuit impudicum. n. 12.

§. III. Occurritur objectionibus. p. 13.

Explicatur sententia D. Cypriani. n. 14.

Disparitas inter hoc factum, & Pseudo miraculum tributum S. Menæ Martyri de Claudio &c. n. 15.

Art. II. An D. Bernardus fuerit Virgo mente & corpore? pag. 24.

Conclusio affirmativa. n. 2.

Exponitur Sermo D. Bernardi. n. 3.

Art. III. An Guillelmus in hoc casu recurrerit ad Dona Spiritus Sancti? p. 25.

§. II. Conclusio affirmativa. n. 4.

§. III. Confirmatur ex miraculo somno. n. 8.

Art. IV. An hoc factum prout refertur à Guillelmo, sit practice possibile citra peccatum? pag. 29.

§. II. Conclusio affirmativa. n. 3.

Doctrina D. Thomæ de possibili, vel impossibili. n. 5.

§. III. Leodiensis hæc cognoscere potuit. p. 30.

Art. V. An sit prudenter credibile? p. 31.

§. II. Conclusio affirmativa. p. 32.

Possit probari factum Xenocratis. n. 6.

- Philosophi Ethnici plerumque operabantur ex superbia, sed non semper. pag. 33.
- Sanctus Augustinus videtur probare factum Xenocratis. n. 9.
- Similiter D. Thomas. n. 10.
- §. III. Probatur ex Card. de Lugo. pag. 34.
- §. IV. Probatur ex cap. *cum causam de Probationibus*. pag. 35.
- Ex illo cap. probatio rei antiquæ fit per libros antiquos, testes, famam, & alia adminicula. n. 14.
- Circa hoc factum non est liber antiquior scripto à Guillelmo. n. 15.
- Testes ordine temporis sunt quos allegat Guillelmus in præfatione sui libri, sed ordine dignitatis sunt litteræ Alex. III. in ejus Canonizatione. n. 16.
- Leodientis negat per vitam intellexisse Alex. III. scriptam à Guillelmo, sed hoc impugnatur. n. 18.
- Explicatur Regula quam ex D. Bernardo tradit ad cognoscendum, quando aliquid est factum ex divino instinctu. n. 21.
- Alexand. Jussit deleri narrationem Guillelmi, si agnovisset ibi non fuisse instinctum Dei. n. 24.
- §. V. Procedit probatio ex versiculo hymni. pag. 38.
- Leodientis explicat, illum versiculum, negans suffragari. n. 26.
- Omnes in Ordine Cisterciensi, tot Sancti &c. errassent, si expositio Leodientis est vera. n. 28.
- Fama prævalet pro facto à felici transitu D. Bernardi usque ad ann. 39. presentis seculi. n. 30.
- §. VI. Adminicula sunt tot præclara castitatis facinora, accepta ex fide dignis Historiis. n. 31.
- De S. Eduardo Rege Angliæ. n. 32.
- De S. Henrico Imperatore. ibidem.
- De B. Lucia de Narni. n. 33.
- De B. Dominico parvo insignæ prodigum. n. 34.
- De S. Equicio Abbate Provinciæ Valeriæ, & castitate data Beato Benedicto. n. 35.
- De Angelico Doctore. n. 36.
- De S. Igancio de Loyola. ibidem.
- De S. Thuribio Mogrovejo. n. 37.
- De S. Joanne de Cruce. n. 38.
- Si illa narratio est falsa, non habet Ecclesia fidelem Historicum primordiorum D. Bernardi. n. 40.
- §. VII. Exponitur Constitutio Leonis X. pag. 43.
- Art. VI. Duo dubia. pag. 44.
- An factum sit miraculosum relinquatur Judicio Lectoris. n. 5.
- Qua via fuerit notum Guillelmo illud factum, proponuntur diversæ viæ. pag. 45.
- Dissertio II. De justitia servata à Bernardo, nec læsa contra hospitam. p. 46.
- Art. I. Narratio V. Guillelmi, & notatio Pinii circa illam. ibidem.
- Art. II. An Guillelmus Lectori significet Bernardum manifestasse Sociis nescientibus peccatum hospitiæ? p. 47.
- §. I. Exhibentur aliqua prius narrata à Guillelmo utilia ad resolutionem. ibidem.
- §. II. Nihil dixit Sociis nescientibus. p. 49.
- Elogium D. Bernardi ex Serm. D. Thomæ. p. 52.
- Dissert. Append. *de vitanda occasione*. p. 53.
- Ratio quare de hoc, hic agitur. ibidem.
- Prælium de Decretis Ecclesiæ, & Regulis S. Borromæi. ibidem.
- Decreta Ecclesiæ. ibidem.
- Regulæ Sancti Caroli. pag. 54.
- Quæst. I. De essentia occasionis, & qualitate peccati orti ex illa. p. 57.
- §. I.

- §. I. De causis peccati ex D. Thoma. *de sup obom b31* ibidem.
- §. II. Diffinitio occasionis proximi. *in a. de sup obom b31* pag. 58.
- Art. II. An peccatum habeat specialem malitiam, eo quod ortum habet ex occasione proxima? p. 59.
- Conclusio affirmativa. *de sup obom b31* p. 60.
- Solutio ad objecta. *de sup obom b31* n. 9.
- Corollarium. *de sup obom b31* n. 13.
- Quæst. II. De divisione in voluntariam, & involuntariam. *de sup obom b31* p. 62.
- Art. I. Gravissimus: An ad vitandum damnum valde grave temporale liceat ingeri, vel manere in occas. proxim. ? *de sup obom b31* p. 63.
- §. I. Sententiæ. *de sup obom b31* ibidem.
- §. II. Conclusio negativa. *de sup obom b31* p. 65.
- Probatur I. argumento facto à P. Lacroix, ex 41. damnata per Alex. VII. *de sup obom b31* ibidem.
- §. III. Probatur 2. ex sententiis Domini. p. 66.
- §. IV. Impugnatur solutio P. Viva. p. 69.
- Fructuosius injungerentur orationes ad impetrandam gratiam, qua homo fugiat occasionem: alioquin orare est Deum tentare. n. 23.
- Dæmon potest suspendere incentiva carnis, ut fallat. n. 26.
- §. V. Impugnatur ratio P. Viva, ex gravissimo inconvenienti. p. 71.
- §. VI. Si ex infamia licet, excusaretur D. Bernardus, sine recurfu ad Dona. p. 73. n. 38.
- Casus mendicitatis videtur claudere lenocinium. Melius occurritur labore manuum, & fiducia in Deum. n. 40.
- §. VII. impugnatur ex doctrina S. Basillii. p. 74.
- §. VIII. Ex Mag. Prado proponuntur aliæ rationes. p. 76.
- §. IX. Solvuntur argumenta. p. 77.
- Primum ex cap. *Consultationi*. n. 51.
- Secundum ex D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 9. n. 53.
- Tertium, quia egestas solet inducere in magna peccata. n. 55.
- Quartum ex D. Thoma in 4. dist. 16. q. 4. art. 2. docente, non oportet esse relinquere officia, in quibus solet frequenter adesse peccatum. n. 57.
- Quintum, quia potest licere Matrimonium hæretici cum catholica, non obstante periculo subversionis. n. 59.
- Magister Basilius Legionensis hoc confirmat. 1. ex medico dante prægnanti cum periculo abortus. 2. ex ministrante cum periculo pollutionis & consensus in ea. 3. ex trienio concessio impotenti. *de sup obom b31* ibidem.
- §. X. Argumenta ex sacris litteris. pag. 82.
1. Ex Joseph. n. 68.
2. Ex Judith, & Esther. n. 70.
- Art. II. An liceat pro bono spiritali suo, aut proximi? p. 84.
- Propositio 63. damnata per Innoc. XI. adhuc dat locum huic quæst. n. 2.
- §. II. Non omnia præcepta æque obligant. n. 3.
- Sacerdos vocatus ad confessionem moribundi, aut Baptismum Parvuli cum periculo peccandi, aut amittendi fidem, commendans se Deo, potest, &c. n. 4.
- Idem de Parocho ex iustitia obligato, &c. n. 6.
- Secus de ministrante ex charitate. n. 7.
- Quid de habente præceptum sui Prælati? *de sup obom b31* ibidem.
- Art. III. An liceat ad vitandum infamiam, aut scandalum? p. 88.
- Quid faciat Parochus debens cantare

- tare Missam, quin possit ejcere concubinam, de quo non est infamatus? n. 4.
- Prius debet vitare scandalum proprium. n. 5.
- Explicatur S. Borromæus. n. 7.
- Art. IV. De his, qui non sunt sui juris. ibidem.
- §. II. Conclusiones. p. 89.
- §. III. Quid debeant facere filii? p. 90.
- §. IV. Quid si Pater, vel Tutor scandalizat? p. 91.
- Art. V. Resolutiones D. Navarro correctæ per Magistrum Lopez. ibidem.
- Quæst. III. De absolutione danda, &c. pag. 95.
- Art. I. Resolutio juxta S. Borromæi lib.
- Art. II. An asserens, non posse abstinere à tali peccato, possit, & debeat admitti ad confessionem? pag. 96.

- Conclusio affirmativa ex Alexand. III. sed modo quo ab ipso explicatur, &c. ibidem.
- §. Confessarius tunc tenetur ad sigillum. n. 6.
- Art. III. An debeat absolvi, manens in occas. prox. juxta opinionem probabilem, à peccatis, quæ in illa occasione commisit? p. 97.
- Conclusio negativa. p. 98.
- Art. IV. Insignis doctrina S. Thomæ de Villa-Nova. p. 99.
- §. I. Acris invectio in manentes, & confessarios permittentes occasionem proximam. ibidem.
- §. II. Hoc processit ex magna benignitate, quam suadet in injungendis penitentiis. p. 102.
- §. III. Omnia, quæ docet sunt consona statutis in Trident. sess. 14. de satisfactione. pag. 103.

FINIS.

§. III. Proprietar. ex l. h. de
 §. IV. Impugnatur solutio
 §. V. Impugnatur iniquitatem
 §. VI. Si ex materia h. de
 §. VII. Impugnatur ex doctrina
 §. VIII. Ex Mac. Pardo propo.
 §. IX. Solvuntur quæstiones.

Faint, illegible text on the left side of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


Faint, illegible text on the right side of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

111

Faint, illegible text in the left column, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in the right column, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS



12.5